



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra conclusio ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

QVÆSTIO V.

Vtrum multiplicatis numero terminis multiplicentur relationes?

SECTIO I.

Sententia Adversaria ponitur.

- 1** HOMINISTÆ vnanimi consensu asserunt, vnam numero relationem sufficere ad plures terminos individualiter distinctos, & proinde nullo modo multiplicari relationes ad multiplicationem numericam terminorum. Probatur.
- 2** Primo, quia hæc paternitas ponitur, vt homo per illam sit, & denominetur formaliter hic numero Patris, sed per vnam paternitatem sit hic numero Pater, & per plures paternitates, etiam si multiplicentur in eodem subiecto illud subiectum non fit plures Patres numero, sed est incapax essendi plures; ergo est incapax plurium relationum numero distinctarum, etiam si dentur plures numero termini.
- 3** Secundo arguit P. Rubius, quia non sunt multiplicandæ entitates sine virginti necessitate; sed si multiplicentur relationes eiusdem speciei per multiplicationem terminorum, multiplicentur ferè infinitæ entitates reales sine virginti necessitate; ergo non debent multiplicari; probatur minor, quia ferè infinita sunt alba eiusdem gradus, ad quæ refertur vnum, & idem per relationem similitudinis; ergo ferè infinitas habebit entitates reales quodlibet numero distinctum, si pro singulis multiplicentur singulæ relationes; quod vero necessitas non virgeat, probatur, quia secundum communem sententiam Scholæ pro singulis conclusionibus eiusdem rationis non multiplicentur in eodem homine singuli habitus scientiæ, sed idem habitus numero se extendit ad omnes, & posset se extendere, etiam si essent infinitæ; sed æque facile est quod eadem numero relatio se extendat ad omnes terminos eiusdem rationis; ergo nulla est necessitas multiplicandi singulas pro singulis.
- 4** Tercio, probatur: vna relatio numero non potest esse in duobus subiectis totalibus; sed si relatio sumeret suam vnitatem numericam à termino, & multiplicaretur ad multiplicationem terminorum, bene posset esse in pluribus subiectis totalibus; ergo si non potest, ex eo est, quod vnitatem numericam sumit à subiecto, & non à termino.

SECTIO II.

Nostra conclusio ponitur.

- 1** Vna numero relatio non sufficit ad plures numero terminos respiciendos, sed necessario debent multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum numero distinctorum.
- 2** Hæc est communis pene omnium Societatis Iesu Doctorum sententia, probatur sic.
- Primo ad hominem contra Thomistas omnes, qui asserunt, relationem distingui ex natura rei à

suo fundamento, vel distinctione rei à re, vel distinctione modi à re; ita Capreolus, Caiet. Ferrata Iabellus, Sotus, &c.

Ideo relatio distinguitur à suo fundamento, quia posito fundamento, non ponitur relatio quantum ad actuale tendentiam ad suum terminum; ergo vel hæc ratio est insufficiens ad probandam distinctionem inter fundamentum, & relationem, vel necessario probat, multiplicatis terminis, multiplicari relationes; sed non est insufficiens ad primum, vt latissime demonstratum est supra, & admittunt omnes adversarii; ergo multiplicatis terminis, multiplicentur relationes: probatur consequentia; ideo relatio distinguitur à suo fundamento, quia posita aliqua forma non potest non poni secundum omnem suam rationem formalem; ergo multiplicatis terminis, multiplicentur relationes; pater consequentia: si multiplicatis terminis non multiplicarentur relationes ideo hoc esset, quia licet duo non distinguantur à parte rei, potest poni vnum realiter, & formaliter, quin ponatur aliud quantum ad denominationem, & formalitatem aliquam; sed hoc implicat, quia ideo posita relatione realiter, & actualiter, non potest poni, quin ponatur secundum omnem suam denominationem, & formalitatem, quia illa formalitas non distinguitur realiter ab ipsa relatione; ergo, &c. probatur maior posita similitudine formali in aliquo subiecto, non ponitur secundum omnem formalitatem, & denominationem similitudinis identificatam cum illa: ergo etiam si duo non distinguantur realiter, potest poni vnum quantum ad suam entitatem, quin ponatur quantum ad omnem denominationem, & formalitatem identificatam realiter cum illo, quod ponitur: probatur antecedens, posita similitudine respectu primi albi, non ponitur formalitas, & denominatio respectu secundi albi; sed formalitas, & denominatio respectu secundi albi secundum adversarios est idem realiter cum similitudine respectu primi albi: ergo posita similitudine formali, non ponitur omnis ratio, & denominatio formalis, quæ identificatur cum ipsa similitudine formali realiter: probatur maior, & sumo relationem maternitatis posito primo filio, non denominatur mater actualiter, & formaliter respectu aliorum filiorum, quos potuit generare; alias B. Virgo esset actualiter, & formaliter mater naturalis multorum filiorum, quos potuit habere, quod est absurdum in fide, & contra rationem relationis prædicamentalis, cuius essentia consistit in puro respectu. Ex quibus manifeste colligitur supposita distinctione relationis à fundamento, non posse consequenter negari, quin multiplicatis terminis realiter, multiplicentur respectus, & quin addito novo termino, aliquid reale addatur præexistenti relativo, Patri, v. g. quod antea non habebat, æque distinctum ab ipso, ac erat paternitas quam antea habebat; hoc enim convincit consequenter loquendo argumentum factum, quia est omnino eadem ratio, nam si Petrus, cum genuit primum filium, indiguit nova re, aut novo modo reali distincto, vt ad illum realiter referretur, cur non etiam quando de novo incipit referre ad secundum? nec enim dici potest, priorem entitatem, aut modum sufficere, tum quia non potest effectus formalis augeri, nisi realiter augeatur forma, tum etiam quia prior relatio adæquate referebat ad primum filium, & ab illo pendet in esse, definitione, &c.

E e e e 3 cogni

cognitione; non enim cognoscetur hæc relatio, ut hæc numero; nisi ut referens ad hunc numero terminum, ut aperte Aristoteles declaravit in prædicamentis, cap. de ad aliquid.

8 Dices, illam primam relationem terminari de novo ad secundum filium, non tamen poni novam relationem. Sed contra: ergo illa terminatio de novo distinguitur realiter à relatione; patet consequentia, posita relatione, & non posito secundo termino, non ponitur illa nova terminatio: ergo separatur relatio quando erat solus primus filius ab hac terminatione de novo; siquidem dabatur tunc, & non dabatur hæc terminatio; ergo distinguitur hæc terminatio à parte rei à relatione, quia quidquid separatur ab alio, distinguitur ab illo; ideo enim relatio distinguitur à suo fundamento, quia posito fundamento, & non posito termino, non ponitur relatio. Hæc terminatio non est quid absolutum, cum sit putat tendentia ad terminum: ergo est relatio distincta à prima; ergo posito novo termino datur nova relatio, quod amplius patebit ex alijs impugnationibus, contra adversarios, quas postea ponemus ad oppugnandam novam extensionem antiquæ relationis, &c. Præterea, quia si vna relatio sine nova additione potest de novo terminari ad secundum filium, etiam possent dicere qui asserunt relationem non distingui à suo fundamento, eandem entitatem fundamenti sine vlla additione posse terminari de novo ad primum filium; quod est contra omnes adversarios; unde hæc solutio enervant, ac debilitant vires rationum, quibus vsi sunt supra Thomistæ ad probandum, relationem distingui à fundamento absoluto. Dices, poni terminationem quantum ad intrinsecum, non vero quantum ad extrinsecum, dum solus erat primus filius: ergo deferis tuum principium, quia eodem modo respondent qui dicunt, relationem non distingui à suo fundamento.

9 Dices, illam novam terminationem non esse novam relationem; sed potius esse quasi novum gradum, seu partem eiusdem relationis; sed hoc est falsum, neque recte æquiparatur nova illa terminatio gradui intensiōis; nam inter illos datur subordinatio per se, & in eis est propria compositio, & vno per propriam latitudinem, vel propria indivisibilia, illæ autem duæ relationes non habent subordinationem per se, neque enim vna per se supponit alteram vel ab illa pender, neque habet vnaquæque earum latitudinem aliquam in se; sed est merè indivisibilis in ordine ad suum terminum; unde neque proprie componunt aliquam latitudinem quasi continuam, quia hæc non componitur ex indivisibilibus. Deinde nullam aliud genus unionis inter illas duas entitates excogitari potest, ob quam dicantur esse duæ partes vnius relationis; quia neque inter se comparantur, ut potentia, & actus, neque habent inter se aliam habitudinem, præter eam, quæ est esse in eodem subiecto. Et hoc à fortiori confirmari potest ex his, quæ supra diximus de simili habituum unitate, vel compositione physica; imò illa unitas, vel compositio artificiosa, quæ in habitibus consideratur, vix potest habere locum in relationibus, & ideo de illa nihil tractatur.

SVBSECTIO I.

Dicta amplius confirmantur.

UT amplius elucescat supra dictum argumentum, probō idem intèctum argumento primo, quo probavi relationem distingui ex natura rei à suo fundamento, quod sic formatur: Nulla creatura transit de termino intrinseco negativo contradictorio, &c. sine additione formæ realiter distinctæ à subiecto, quod transit; sed homo, qui est Pater primi filij nondum genito secundo filio, est in termino negativo intrinseco contradictorio Patris respectu secundi filij, & per secundam generationem realiter filij transit ad terminum positivum Patris respectu illius: ergo in illo transitu fit mutatio in subiecto quod transit per additionem realiter illius formæ, ad quam fit transitus: sed formæ, ad quam fit transitus est paternitas respectu secundi filij: ergo fit additio realiter paternitatis respectu secundi filij: ergo illa paternitas distinguitur à prima, &c. maior loco citato est clarissime probata; minor sic probatur, quia adhuc stante prima paternitate, nondum genito secundo filio, est verum dicere, non est pater secundi filij, nec mater illius, quod docet fides catholica, dum definit, Beatam Virginem non esse matrem alterius secundi filij distincti à Christo Domino, ac proinde fide sanctum est Christum esse unicum filium naturalem Beatæ Virginis, quæ licet habeat potentiam ad habendum secundum filium, ex eo quod actu non genuit illum non erat mater illius, & sic est in termino negativo matris secundi filij. Item Pater æternus est in termino contradictorio negativo Patris secundi filij, quia non genuit secundum ex eo quod non potest generare illum; nam non est pater pater æternus, nec Beata Virgo, ut diximus, non est mater secundi filij; sed non esse pater est habere negationem patris, & habere negationem est esse in termino negativo patris respectu secundi filij, sicut quia ær non est lucidus, colligitur non habere lucem, & per consequens est verum dicere ær est in termino contradictorio negativo lucis, ac lucidi: ergo Pater primi filij nondum genito secundo filio, &c.

Dices non esse necessariam aliam paternitatem, præter primam ad secundum filium.

Contra, quia prima non sufficit, ut pater nondum genito secundo filio desinat esse in termino contradictorio negativo patris respectu secundi filij. Item non sufficit prima relatio quominus genito secundo filio, pater primi filij non transeat ab illo termino negativo ad terminum positivum patris respectu secundi filij; ergo non sufficit quominus detur realis additio illius formæ, per quam est pater secundi filij, quæ est paternitas, & sic non sufficit ut per solam illam, pater primi sit secundi, sed necessaria est distincta paternitas nova à prima.

Exemplo clarissimo evidenter illustratur nam ideo quantitas æris non sufficit ut esset ær lucidus, sed necessaria erat alia distincta realiter forma lucis, ut ær reddatur lucidus, quia adhuc stante quantitate in ære, & media nocte est in termino negativo lucis ac lucidi, & cum adveniente sole videmus transire ærem de termino illo contradictorio non lucidi ad lucidum intrinsece necessario

necessario colligimus in tali transitu fieri additionem in aere, adhuc quanti lucis realiter distincta à quanto aere, sed adhuc stante prima relatione patris, homo qui est subiectum illius est sub termino negativo intrinseco Patris secundi filij, & adveniente secundo filio transit realiter intrinsece ad esse patris secundi filij, ad quod non transibat sine secundo filio: ergo evidenter debet colligi per adventum secundi filij fieri additionem à parte rei formæ illius, per quam est pater secundi filij, quæ forma paternitatis sit à parte rei distincta à patre, & paternitate prima, quod adeo evidens est, ut sine clarissima amentia non possit negari hæc veritas.

Dices, non esse necessariam novam relationem ad hoc ut pater primi filij sit pater secundi filij: sed sufficere dari novam extensionem in præexistente relatione, per quam referatur, & respiciatur secundum filium.

Contra, quia illa nova extensio, quæ antea non erat, & nunc est, est ens reale, alias esset nihil; unde pater primi filij, non esset pater secundi filij ratione illius paternitatis, quia ex nihilo nihil fit, & quod est nihil, nihil potest facere; unde quod est nihil de novo, non potest esse de novo aliquid, scilicet pater, sed illa extensio quæ est ens reale, non est ens per se, id est substantia, cum accidentaliter adveniat substantiæ Petri, ut supra probatum manet: ergo est accidentalis entitas extensio illa: sed non est accidens absolutum: ergo est respectivum: ergo formaliter est relatio de novo, & non relatio transcendentalis, cum non sit de essentia illius subiecti, cuius relatio est; igitur erit relatio prædicamentalis de novo, unde multiplicato termino, multiplicantur relationes.

Probatur nunc quod non sit accidens absolutum, sed respectivum; illud est accidens respectivum, seu relatio, & non absolutum, cuius totum suum esse est ad aliud: sed illa nova extensio est huiusmodi: ergo. Maior est ipsa definitio relationis. Minor sic probatur primo, quia illa extensio est ad secundum filium tota, sicut ipsa paternitas est ad primum: sed paternitas ex eo solum habet totum suum esse ad aliud, quia respicit primum filium: ergo illa extensio, quæ tota respicit, & refertur ad secundum filium, habebit totum suum esse ad aliud, præcipue quia illa extensio habet totum suum esse ad secundum filium: sed secundus filius est aliud à patre, & aliud à paternitate, & ab ipsa extensione: ergo illa extensio, quæ habet totum suum esse ad secundum filium habet totum suum esse ad aliud. Secundo, quia illud habet totum suum esse ad aliud, quod habet ita suum esse dependenter à termino, qui est illud aliud, ut nec esse nec intelligi possit sine illo, ad quod habet esse, & hoc adeo fit, ut ad positionem illius ponatur necessario, & ad destructionem illius destruat, ita ut nulla potentia possit dari sine illo, nec possit concipi vilo modo sine tali termino. Hæc enim dependentia quoad esse, & quoad cognitionem est ratio adæquata, quare similitudo habeat totum suum esse ad aliud, & sit relatio formaliter, & etiam prima paternitas, nam cum tota ratio dependentiæ solum continetur in hoc, potest constituere essentialiter ens illud cuius totum suum esse est ad aliud, quod proprie est relatio, imo nulla potest alia reddi ratio, quare paternitas sit relatio, præter hanc dependentiam à termino: sed illa extensio de novo ita depen-

denter est à termino de novo, ut non possit dari talis nova extensio, nec intelligi sine novo termino, & ad positionem illius ponitur necessario, quod adeo verum est ut adhuc Divinitus non possit impediri, nec conservari sine termino: ergo illa extensio est relatio formaliter de novo: ratio à priori huius est.

Quia illa est relatio quæ petit ad suum esse fundamentum, rationem fundandi, & terminum; sed illa extensio petit fundamentum, rationem novam fundandi, & distinctam à patre rei quæ est nova, & distincta realiter generatio petit novum, & realiter distinctum terminum: ergo est nova, & distincta paternitas: unde solum erit elusio vocabulorum vocare extensionem, & non novam relationem, cum sit modus, & habet omnia requisita dicta quæ essentialiter requiruntur ad relationem.

Dices non esse novam relationem, quia est idem fundamentum reale.

Contra evidenter, & supponamus anno præterito, Petrum fuisse Patrem, mortuumque fuisse filium, tunc autem defuit esse prima relatio; lapsus autem tempore, generet filium alium, resultabit sine dubio distincta numero relatio, quia idem numero ens non potest naturaliter reproduci, & licet hæc duæ numero relationes non habeant distincta fundamenta numero, quia fundamentum, vel est substantia generantis, & hæc est eadem nunc, ac anno præterito, vel est potentia generativa, & hæc est eadem numero etiam, potentia enim dilapsu temporis non mutantur, & variantur alternativa successione, nihilominus solum propter distinctam generationem, & genitum, datur distincta relatio numero: ergo si adhuc permanente primo filio datur nova, & distincta generatio, & distinctum genitum, licet sit idem fundamentum remotum, dabitur distincta numero relatio paternitatis.

Confirmatur, quia illa extensio debet poni in aliquo prædicamento per se: sed illa non est in prædicamento substantiæ, nec in prædicamento quantitatis, cum non sit quantitas, & cum illa extensio fingatur in relatione, quæ extenditur, quantitas enim non potest subiectari in relatione, ut de se patet, cum relatio sit modus, & quantitas sit res, nec potest dici illam extensionem esse modum quantitatis, & sic posse vnum modum in alio subiectari, non enim hoc potest dici, quia modus vnius rei, non potest separari ab illa, & esse in alia, alias esset modus, & non esset à parte rei, ut alibi demonstro, solum enim quantitas in materia prima, & extensio quantitativa in quantitate subiectatur. Præterea illa extensio non est qualitas propter eandem rationem, & qualitas est accidens non dependens à termino, sicut dependet illa extensio, & sic est accidens omnino absolutum, etiam quia ad qualitatem datur per se motus qui non datur ad illam extensionem, item nec actio, nec ubi, nec habere: ergo in nullo prædicamento præter relationem, cum omnia prædicata essentialia huius prædicamenti conveniant huic relationis extensioni: ergo est relatio formaliter.

Dices esse relationem partialem.

Contra: ergo nec prima relatio erit relatio completa, cum prima sit compars eius, præcipue quia hæc secunda per vos est pars, sed non est pars primæ, ita ut prima sit totum, cum illa detur ante hanc secundam, & totum non possit dari sine actua

actualibus partibus: ergo illa prima Paternitas etiam est incompleta relatio: sed nihilominus datur absolute relatio, & ideo absolute ponitur in prædicamento: ergo etiam hæc secunda absolute, & simpliciter dicitur relatio, & non extensio relationis.

Item, duæ illæ relationes nullam habent rationem partium, quia minime se habent quasi actus, & potentia, cum nulla aliam supponat, neque una dependeat ab alia, nec vllum ordinem habeant inter se præter eum, qui est esse in eodem subiecto, maxime, quia numquam datur relatio completa, nam quibuscunque datis partialibus relationibus, potest alius terminus de novo advenire ad quem debet sequi necessario relatio, quæ in tua sententia debet componere cum alijs; sed hoc est absurdum, alias prædicamentum relationis erit incompletum per se, quod falsitatis sic convincitur.

Quia ubi sunt causæ completæ, & perfectæ, datur per se completus effectus: sed de novo datur completæ causæ novæ relationis, quia datur terminus completus de novo, vt homo scilicet de novo genitus, qui est ens completum, adhuc in ratione termini, quia in illa ratione non ordinatur ad componendum cum alio terminum completum. Item, quia mortuo primo filio complete manet Pater in esse Patris cum hoc solo filio; alias semper Pater esset incompletus Pater cum nunquam habeat omnes filios, quos simul potest habere, etiam datur alia causa completa, quæ est ratio fundandi generatio nimirum, quæ in suo esse completa est cum sit productio entis completi, scilicet hominis: ergo concurrunt omnes causæ completæ relationis præcipue cum ipsum fundamentum, homo scilicet generans sit etiam completum: ergo relatio etiam quæ est effectus illorum erit completa relatio.

Dices illam extensionem non esse relationem partialem sed modum generationis, sicut extensio quantitatis est modus quantitatis.

Contra primo, quia modus rei non potest separari à re cuius est modus; sed illa quæ vocatur extensio potest separari à relatione paternitatis, nam mortuo primo filio, Pater non est Pater illius, quia illius qui actus non est, non est Pater actus: sed ubi non est Pater non est paternitas, sicut ubi non datur effectus formalis, non datur forma, si forma est accidentalis modalis, quæ non potest esse separata à subiecto; ergo cum mortuo primo filio non datur Pater illius, non datur paternitas illius prima, & nihilominus datur illa, quæ vocatur extensio ad secundum filium, nam adhuc mortuo primo filio, ille homo est Pater secundi filij; ergo est in illo paternitas respectu secundi filij non existente paternitate ad primum: ergo separantur hæc duæ rationes, quia existit extensio destructa paternitate ad primum filium, separari autem nihil aliud est quam manere vnum destructo alio: ergo illa quæ vocatur extensio non est modus paternitatis, quia modus non separatur à re cuius modus est.

Secundo, quia tam completæ sunt causæ huius secundæ relationis, quæ vocatur extensio sicut causæ primæ paternitatis, item independentes sunt in sua operatione à causa primæ relationis, & ab earum operationibus, nam secunda hæc generatio, & terminus genitus, & homo quatenus generans est hunc secundum ter-

minum omnino sunt independentes, quia hæc secunda generatio, etiam si non antecessisset prima poterat esse, & hic homo genitus poterat generari etiam si non genitus fuisset primus; item, & generans poterat etiam, si non genuisset primum, generare secundum; imo per accidens fuit ad generationem secundi, generatio primi, quia inter primum, & secundum genitum nulla datur subordinatio essentialis; sed quoties aliquis effectus ita est independens ab alio vt sine illo potuisset esse, cuius productioni est per accidens primus, & ita dependet à suis causis, vt tales causæ in productione illius secundi non dependant ab alijs, non potest esse modus primi, quia modus essentialiter dependet à re cuius est, & essentialiter illam præsupponit necessario, vt videre est in vbi hominis, quod nullo modo potest dari ante hominem, quia necessario illum præsupponit, & extensio quantitatis nullo modo potest dari sine illa, vnde causæ etiam ubi, & extensiones dependent in suis operationibus ab homine, & à quantitate, nam non possent produci illa si non daretur homo, & quantitas, qui sunt effectus generationis, & educationis: ergo illa, quæ vocatur extensio non est modus primæ cum potuerit esse sine prima, & cum totaliter dependeat à causis independentibus à primis, nam si per impossibile non antecessisset prima generatio, & primus genitus, data hac, quæ nunc est secunda generatio, & dato secundo genito, daretur hæc numero relatio, dato etiam hoc numero generante huius secundi filij, cum tota individuatio huius numero relationis sumatur ab hoc numero fundamento, ab hac numero generatione, & ab hoc numero genito, quæ omnia numero eadem adhuc non stantibus primis essent eadem, quia si causa est independens à causa alterius, etiam effectus illius causæ erit independens ab effectu illius, v.g. quia homo, vt causa generans est independens ab equo generante etiam homo genitus, & effectus est independens ab equo genito: ergo si generans secundus, & generatio, & genitum, quæ sunt causæ relationis sunt independentes à causis primæ relationis, relatio hæc quæ est effectus harum causarum est independens à relatione effecta ab illis: ergo hæc quæ vocatur extensio non est modus illius, quia modus dependet à re cuius est, & ubi ad hominem, & extensio à quantitate: ergo.

Confirmatur, quia relatio formaliter est terminatio fundamenti ad terminum, fundamentum vero vt se habet ad terminum dicitur formaliter relationem, at in hac nova extensione ad novum terminum est nova terminatio: ergo nova relatio.

Vrgetur cum Smiglesio, quia illa extensio, vel est quantitativa, vel formalis; non primum, quia quantitativa extensio fit per additionem, partis ad partem, necesse igitur esset addi novam relationis partem ad novum terminum, non secundum, quia forma se ipsa extenditur ad diversa subiecta, quatenus eadem numero manens informat diversa subiecta vel diversas subiecti partes, vt patet in anima rationali extendendo se totam ad omnes corporis partes, & si hoc modo relatio dicatur extendi ad plures terminos, non extenditur eadem terminatione: sed diversa, sicut neque forma extendit se ad novam partem eadem numero informatione; sed diversa, quod

quod si fuerit alia numero terminatio, erit proculdubio alia numero relatio; sicut igitur impossibile est extensionem hanc fieri sine nova terminatione, ita est impossibile fieri sine nova relatione.

Præterea hæc relatio ad secundum filium eodem modo producit, & corrumpitur si daretur primus filius, & relatio ad illum; sed si sit corruptus primus filius, & relatio ad illum quando producit secundus, non potest villo modo tunc esse illa eadem relatio numero, quæ erat ad primum; ergo non est eadem quando manet primus filius: Maior probatur, quia pater eodem modo generat secundum filium, & est pater illius si vivat primus, ac si sit mortuus, primus enim nullo modo concutit ad generationem secundi: ergo illa relatio eodem modo producit, & conservatur si daretur primus filius, ac si esset corruptus. Minor probatur; quia quando corrumpitur primus filius, si adhuc non sit genitus secundus perit relatio ad illum, tam quoad intrinsecum, quam quoad extrinsecum, quæ consequenter non potest naturaliter redire idem numero: ergo quando producit secundus filius non potest esse villo modo eadem relatio numero, quæ erat prius ad primum, filium, quod videtur ex Divo Thoma quod lib. 4. art. 4. contra gentes cap. 81. & alibi sæpe, quem sequuntur omnes Thomistæ non solum in entibus absolutis, sed etiam respectivis reputat impossibile, ut naturaliter eadem numero forma corrupta redeat, quod tamen videtur omnino necessario in hac sententia dicendum, quare si eadem omnino, & numero relatio pater refertur ad primum filium, & ad omnes sequentes quando moritur primus filius nondum nato secundo corrumpitur omnino illa relatio patris, & deinde productio secundo eadem numero relatio redibit, quod si dicatur in hoc casu redire eandem numero relationem, quia iam est corrupta, non poterit assignari ratio, quare etiam manente prima relatione, & primo filio non producit nova relatio in productione novi filii, cum eodem omnino modo producat secundus filius, quando est mortuus primus, ac quando vivit, & durat relatio ad illum, quod si recurramus ad multiplicationem entium sine necessitate nihil videtur concludi, quia cum omnis relatio determinata debeat habere terminum determinatum accedente novo termino debet assignari nova relatio.

SVBSECTIO II.

Solutiones Adversariorum refutantur.

¹⁴ Dices non esse necessariam extensionem, sed solum positionem extrinsecam termini, ratione cuius relatio, quæ solum hunc numero terminum respiciebat, respicit iam alium numero de novo, quem antea non respiciebat. Hæc est plausibilior apud Thomistas solutio.

Contra evidenter, quia respicere in relatione non est denominatio extrinseca, sed intrinseca, & identificata ratio illius; unde idem est relatio, ac respicere in relatione: sed per vos ratione extrinseci termini datur nunc respicere ad hunc terminum de novo, quod antea non dabatur: ergo ratione extrinseci termini datur nova relatio, quæ antea non dabatur, clarissimo exemplo con-

R. P. Ildeph. de Peñañol Theol. Schol. Tom. I.

vincitur, quia percipere obiectum est cognitio ipsa si datur nova perceptio nunc, quæ antea non dabatur, debet necessario dari nova cognitio nunc, quæ antea non dabatur, sicut quia animal rationale est homo, impossibile est ut detur novum animal rationale quod antea non dabatur, & quod non detur novus homo, qui est idem cum animali rationali. Maior illa prima est manifesta, quia respicere, referri, respectus, & relatio sunt synonyma; unde in omnium sententia sunt idem, & sic ubi datur respicere, datur referri, & ubi datur referre, datur relatio, & respectus, sed per vos datur respicere de novo ad secundum filium: ergo datur de novo relatio ad illum, alias esset, & non esset idem, & idem à seipso separaretur, cum daretur respicere, & non relatio, quæ sunt idem.

Dices ex vi positionis termini non datur in antiqua paternitate additio aliqua.

Contra, quia quando ponitur novus terminus extrinsecus, vel illa relatio antiqua respicit de novo illum terminum, vel non respicit; si non respicit: ergo nec pater ratione illius est pater secundi filii, quia omnis pater debet respicere suum filium, & ideo Petrus pater non est respectu Angeli, quia non respicit Angelum, & ideo est pater respectu Antonij, quia respicit illum: sed Petrus pater non respicit secundum filium: ergo non est pater secundi filii; & clarius, vel posito novo albo antiquum respicit hoc album, sicut respicit novum album vel non; si non, non est simile illi, nec similitudo antiqua sufficit ad omnia alba, quia omnis sufficientia, quæ requiritur in prima paternitate, & similitudine, est ut referant ad secundum genitum, & respiciant secundum filium, & secundum album, sicut respiciunt primos terminos, alias si non respiciunt, non erunt formaliter relationes illorum, sed erunt in ordine ad illa, non ut relationes; sed quasi absoluta, v. g. si pater non respiceret primum filium, nec album non respiceret primum album non esset pater respectu primi, nec simile; unde non daretur similitudo nec relatio paternitatis in illis, sicut quia Christus non refertur ad Virginem, non datur relatio filiationis in Christo per vos, quia si daretur, referretur; unde hoc quod dicitur, destruit totum titulum questionis, & non est scopum collimare, nec interrogatis satisfacere, nam hic interrogamus vtrum posito termino secundo non sit necessaria alia relatio, ut respiciat illum, & sit pater illius, sed solum sufficiat prima ad respiciendum, ipsi respondent sufficere primam, quomodo nunc dicunt primam non respicere de novo hunc secundum filium, sicut antea non respiciebat: ergo ut bene respondeant, debent respondere respicere de novo hunc secundum terminum, quem antea non respiciebat, referrique de novo ad illum, ad quem antea non referebatur; ergo nunc datur in patre novum respicere, & novum referre, quod antea non dabatur, licet daretur respicere primum filium, & referri ad illum: ergo hoc respicere, & referri non est respicere primum filium, nec est prima paternitas.

Pater evidenter, quia per totum triennium, vel per totum biennium (supponamus abhinc tribus annis, aut decem, genuisse Petrum secundum filium) fuit primum respicere, & primum referri, sic paternitas ad primum filium realiter sine respicere, & referri ad secundum filium: ergo distinguuntur à parte rei: ergo paternitas ad primum fi-

lium

lium non est à parte rei paternitas ad secundum, quia idem non potest separari à se ipso: ergo est nova paternitas, quæ respicit secundum, & non antiqua, quod convincitur evidenter exemplo amoris, nam si antea amavi Petrum, & non amavi Ioannem per biennium, & nunc amo Ioannem, non potest hic amor esse idem, ac ille, & si cognovi heri Ioannem, & heri non cognovi Petrum, & nunc incipio cognoscere Petrum, non est eadem cognitio hæc, ac illa, quia separata fuerunt aliquo tempore realiter; unde per eandem cognitionem non possum cognoscere hoc obiectum nunc, & non illud, & postea per eandem cognoscere utrumque, hoc solum est mysterium Divinitati reservatum, quo Deus transcat de termino negativo intrinseco ad positivum intrinsecum sine additione reali, & hoc concedimus Deo, propter summam, & infinitam actualitatis perfectionem: atqui Pater creatus non est infinitus: ergo si nunc respicit intrinsece, quem antea non respiciebat, licet haberet primam paternitatem, evidenter sequitur nunc addi de novo paternitatem, & multiplicari relationem ad multiplicationem terminorum.

16 Confirmatur, referri vnum ad alterum, est effectus intrinsecus relationis: ergo ubi est nova denominatio respectiva, & novus effectus formalis illius, ut in Ioanne qui ad secundum filium refertur, ad quem antea non referebatur, erit nova forma relativa intrinseca de novo superaddita: at in Ioanne crescit effectus formalis, scilicet intrinsece refertur ad secundum filium: ergo crescit forma addita nova entitate, implicat enim crescere effectum formalem intrinsecum, quin etiam realiter crescat forma intrinseca, præcipue, quia crescere talem effectum formalem; est ordinari ad hunc filium, ad quem antea non ordinabatur: ergo ubi est novum incrementum, vel accretio in ordine ad novum filium est novum ad; ergo & nova, & distincta relatio; multiplicatio enim esse ad, & ordinari multiplicatur relatio, cuius essentia in esse ad consistit, & ideo ut ait Pater Suarez iuxta sententiam distinguentem à parte rei relationem à suo fundamento, non potest consequenter negari, quin multiplicatis terminis realiter, augeantur respectus, & quin addito novo termino aliquid reale relativum addatur præexistenti relativo, ut cum Pater generat secundum filium, aliquid respectivum acquirit, quod antea non habebat æque distinctum ab ipso ac erat paternitas, quam antea habebat, quia hoc convincunt consequenter loquendo rationes factæ, & quia est omnino eadem ratio; nam si Petrus cum genuit primum filium indiguit nova relatione, aut novo modo reali distincto, ut ad illum realiter referretur, cur non etiam quando de novo incipit referri ad secundum, aut modum sufficere; nam prior relatio ad æquate refertur ad primum filium, & ab illo pendet in esse, & in definitione, & cognitione, non enim cognoscitur hæc relatio, ut hæc numero, nisi ut referens ad hunc numero terminum, ut aperte Aristoteles declaravit in prædicamentis, *cap. de ad aliquid*, unde si consequenter loquendum est supposita nostra sententia de distinctione relationis à fundamento, necesse est ut dicamus tantam esse distinctionem inter paternitatem ad primum filium, & id quod additur Patri genito secundo, quanta est

inter paternitatem ipsam, & fundamentum ipsum, itaque si hæc distinguuntur à parte rei, etiam illa.

Probatur ex supradictis, quia relatio paternitatis ad primum filium ita comparatur ad id quod additur respectu secundi filij, ut possit illa paternitas esse sine hoc addito, & è converso possit manere hoc additum, & constituere Patrem sine illa prima paternitate: ergo si paternitas est modus realis distinctus, quia est separabilis à fundamento, etiam isti duo modi erunt inter se actu distincti ex natura rei, quia unus est separabilis ab alio, & è converso, clarum autem est axioma asserens quodcumque duo ita distinguuntur in re, ut vicissim, & vnum sine alio, & alterum sine altero manere possit, tunc illud esse sufficiens signum distinctionis à parte rei; sed ita inter se comparantur respectus Patris ad primum filium, & ad secundum, ut & prior sine posteriori, & posterior sine priori existere possit: ergo distinguuntur inter se vera distinctione à parte rei: atqui utrique modi sunt ad aliud, & ita ad aliud, ut nec esse nec intelligi possint sine alio, id est sine termino: ergo sunt formales relationes prædicamentales.

Dices relationem quoad primum filium esse intrinsecam rationem, quoad secundum autem esse denominationem extrinsecam.

Contra primo, quia eodem modo se habet denominatio Patris in ordine ad secundum filium, sicut in ordine ad primum; sed in ordine ad primum non est denominatio extrinseca: ergo nec in ordine ad secundum. Maior est evidens, primo, quia sicut se habet cognitio in ordine ad obiectum, sic se habet relatio in ordine ad terminum; sed cognitio tam intrinsece tendit in primum ac secundum obiectum, & non est intrinseca respectu primi, & extrinseca tendentia respectu secundi; ergo similiter respectus, seu relatio est intrinseca respectu secundi, ac respectu primi, & sicut quando non cognovi per primam cognitionem, nisi obiectum B, non cognosco obiectum D, & postea cognosco obiectum D, nullus potest dicere utrumque obiectum cognosco per utramque cognitionem; sed necessario est asserendum ad multiplicationem obiectorum, multiplicari cognitiones, ita sententia est de relationibus, & ratio à priori est, quia per accidens est, ut hic terminus sit secundus, nam potuit esse primus, & potuit esse solus, nam mortuo primo, manet solus, & si ut potuit genuisset hunc secundum hominem ante primum, hic homo, qui modo est secundus filius esset tunc primus: sed tunc relatio ad hunc terminum esset intrinseca: ergo nunc etiam, nam quod est per accidens, non mutat naturas rerum, ita ut ratione rei per accidens id quod est intrinsecum, reddatur extrinsecum; sed per accidens est quod hic terminus sit secundus: ergo ratione huius per accidens relatio, quæ deberet esse intrinseca respectu huius non potest esse extrinseca.

Secundo contra, quia denominatio relativa non est extrinseca, sed intrinseca; nam in hoc distinguitur actu terminans, & actu obiectum ab actu respiciente, quod illa sunt extrinsece denominata, hoc vero minime; sed Pater in ordine ad secundum filium est denominatio relativa: ergo non est extrinseca, sed intrinseca, nam licet vna, & eadem entitas possit esse denominatio extrinseca, & intrinseca, ut eadem visio, est intrinseca

intrinsicca videnti, & extrinsicca obiecto, & actio est intrinsicca passio, vel termino, & extrinsicca agenti, hoc tamen evenit respectu diversorum, non tamen respectu eorum, quae sunt eiusdem rationis, nam passum, & agens sunt diversarum rationum, & potentia, & obiectum; unde visio, & actio respectu horum potest esse intrinsicca, & respectu illorum extrinsicca; contra vero, quia hoc, & illud agens sunt eodem modo agentia, actio enim non potest esse intrinsicca, respectu unius agentis, & extrinsicca respectu alterius agentis, quia haec potentia visiva, & illa sunt eiusdem rationis respectu unius, visio non potest esse denominatio extrinsicca, & respectu alterius extrinsicca; sed pater respectu secundi filij est eodem modo pater, ac respectu primi: ergo paternitas non potest esse denominatio extrinsicca respectu huius, & intrinsicca respectu alterius.

17. Vltimo confirmatur, posito novotermine, v.g. novo filio datur nova relatio: ergo multiplicatis numero terminis, multiplicatur numero relationes. Antecedens sic probatur, posito novo filio respectu Petri, Petrus est pater illius de novo, sed non potest Petrus de novo esse pater illius, quin in Petro deitur nova paternitas ad illum novum filium: ergo posito novo filio, datur nova paternitas in Petro. Maior est evidens, quia Petrus non erat ante generationem illius filij pater eius, cum ille filius tantum esset possibilis, vel futurus, minime actualis tunc, cum per generationem accipiat esse actuale, quod necessario requirit, omnis relatio actualis, tam filiationis (quia modus actualis non resultat, nisi in subiecto actuali,) quam paternitatis: tum quia est simul natura cum filiatione, & sic simul in eodem instanti resultant, quod adeo verum est, ut vna nullo modo possit esse, aut resultare prius, quam alia; tum etiam, quia nullus dicitur actu pater possibilis, aut futuri filij, sed solum actualis, alias ut supra dixi Christus Dominus esset actu pater naturalis multorum hominum, quos potuit generare, & Beata Virgo mater naturalis multorum filiorum, & non solus Christi, unde Christus non erit vnicus filius naturalis Beatae Virginis, quod est contra fidem.

Et post generationem illius est pater, cum ille sit genitus a Petro formaliter, unde, & filius Petri, cum statim ac genitus sit aliquis resultet in ipso filiatione, filius autem non potest esse de novo talis sine patre de novo: ergo tunc est Petrus pater illius filij, quem de novo genuit, sed antea generationem non erat actu pater: ergo Petrus post illam generationem est de novo pater illius de novo geniti, quia esse de novo album, calidum, frigidumve, est nunc esse, quod antea tale non erat: sed Petrus nunc est pater huius nunc geniti, & antea non erat pater illius: ergo Petrus de novo est pater ipsius de novo geniti.

Minor praecipua sic probatur, quia impossibile est vt detur effectus formalis de novo, & quod non detur de novo forma: sed pater est effectus formalis relationis paternitatis: ergo si de novo est pater, de novo erit paternitas in illo, quae est forma illius. Maior sic probatur, nam impossibile est quod sit de novo homo sine humanitate de novo, & album de novo sine albedine de novo, imo Verbum Divinum non potest esse humanatum de novo sine humanitate de novo, & unitum de novo humanitati hypostaticae, sine hypostatica unione de novo, & Deus nunquam fuit de novo Deus, quia nunquam habuit Divinitatem de novo.

R.P. Ideph. de Penafiel Theol. Schol. Tom.I.

vo, nam haec propositio nunquam fuit verificata nunc, hoc ens habet divinitatem, quam antea non habuerat, & ideo etiam haec propositio, nunquam potuit habere veritatem; Hoc ens est Deus nunc, cum antea non fuerat Deus, nam semper fuit Deus, quia semper habuit Divinitatem, nam a concreto ad abstractum, optima est consequentia, abstractum est constitutum essentialiter concretum, & ratio evidens a priori est, quia effectus formalis nihil aliud est, quam materia, forma, & unio, id est materia habens formam, & forma informans materiam: sed impossibile est vt idem sit de novo, & non sit; ergo impossibile est vt sit effectus formalis de novo, & non sit de novo forma. Patet haec consequentia, quia esse de novo effectus formalis, est constitui de novo concretum a forma essentialiter constitutiva illius: sed non potest constituere forma concretum de novo, nisi de novo uniat forma materia; nam forma non constituit, nisi exhibitionem suae propriae entitatis in subiectum; unde si de novo constituit, de novo exhibet suum esse materiae, unde de novo est per informationem: ergo si de novo habet esse concretum, seu effectus formalis, necessario de novo est forma: atqui per te licet de novo sit effectus formalis non est forma de novo: ergo necessario sequitur quod sit de novo forma, & non sit de novo respectu eiusdem subiecti: atqui hoc est contra evidens axioma omnium maximum, impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo ne hoc absurdum sequatur, dic necessario, quod si de novo est effectus formalis, de novo esse a forma: atqui multiplicato secundo filio, vt termino de novo est pater illius: ergo de novo est forma, & multiplicatur paternitas, quae constituit patrem, unde multiplicatis terminis, necessario debet multiplicari relatio.

SVBSECTO III.

Secundum argumentum ponitur.

18. Secundo probatur principaliter, quia si multiplicatis terminis, non multiplicarentur relationes (v.g. in patre qui genuit primum filium, secundo genito, non multiplicaretur paternitas: sed vt vos dicitis prima paternitas sine aliqua additione referretur ad secundum posito solum secundo filio:) ergo antequam generet secundum filium genito primo, talis homo generans primum est potens ex vi paternitatis quam habet, vt quando ponatur secundus filius, sine aliqua additione possit per illam ipsam paternitatem respicere secundum filium, quare ipsa paternitas erit formaliter potentialitas aut potentia ad respiciendum secundum filium quando ponatur, sicut v.g. quia anima rationalis ex vi intellectus quem habet, est potens vt possit intelligere obiectum, & ex vi voluntatis est potens amare, intellectus, & voluntas sunt necessario potentiae, & potentialitates ad amandum, & intelligendum: sed relatio paternitatis, nec est potentia, nec habet ullam potentialitatem ad respiciendum: ergo ex vi talis paternitatis, antequam detur secundus filius, non est potens pater respicere illum: ergo quando addatur secundus filius, non respicit pater ex vi illius secundum filium, sed necessario ponenda est alia relatio, ex vi cuius formaliter respiciat illum filium. Haec consequentia est evidens, nam cum

FFFFF 2 negatur

negatur potentia alicuius actus, negatur actus ille, qui sequitur ex vi illius potentie, sed primæ paternitati negatur potentia, & potentialitas ad respiciendum secundum filium: ergo negatur illi actui respicere secundum filium, quod respicere est actus illius potentie. Maior est evidens, quia negatur intellectui creato, destituto lumine gloriæ potentia ad clare videndum Deum, necessario debet negari actus videndi clare ipsum, & quia voluntati negatur potentia ad intelligendum, ipsi voluntati negatur actus tali potentie debitus, scilicet actu intelligere: ergo si talis actus non oritur ab illa prima paternitate, necessatio debet dari alia formalitas ex vi cuius respiciatur secundus filius, & detur talis actus respiciendi, sicut ad actu respicere primum filium prima datur paternitas distincta à fundamento, quia ex vi solius entitatis fundamenti non potest dari actus respiciendi terminum.

Illa minor sic probatur, primo, quia paternitas est modus, ut de se patet, & postea probabitur, imo eam defendunt Rubens, & multi ex Thomistis, sed modus non est potentia, nec ullam habet paternitatem, ut latissime demonstravi in metaphysica, disput. 1. quest. ult. *Verum scientia sit simplex qualitas*, contra Patrem Vasquez, conclusionem secundam videre ibi, satis abunde probatum: ergo relatio, quæ modus est, non est potentia nec habet aliquam potentialitatem, ut est videre in unione, in vbi, & in actione, &c.

19 Secundo probatur, & suppono esse rem: sed in sententia ipsorum Thomistarum, ut asserit Sanchez in sua Logica, lib. 5. 4. *prædicamento, quest. 33. conclus. 3.* relatio actu existens non constituit aptum referri, sed actu referens, quod etiam asserunt Capreolus, Sotus, Bañez, & alij: ergo prima paternitas solum potest constituere actu referens, & minime in potentia referens, vel potens referre, sed solum in ordine ad primum filium potest constituere prima paternitas generantem actu respicientem, nam in ordine ad secundum, quia actu non est genitus secundus, non potest actu respicientem illam constituere, non enim actu paternitate respicitur, quod actu filius non est, ut est id quod non est actu genitum, sed ex alio capite in ordine ad secundum filium non potest constituere potens respicere, nec in potentia, ut referatur, quia totus effectus formalis relationis actu existentis, solum est actu referre, & constituere actu relatum, & actu respiciens: ergo in ordine ad secundum prima paternitas non refert, cum licet ipsa existat, antequam existat secundus filius non sit potentia ad secundum respiciendum: ergo quando ipse secundus terminus existit actu, ipsa non est respiciens actu, quia cui negatur potentia ad aliquod exercitium, si talis entitas præexistat ante exercitium etiam debet negari actus, unde actu non respiceret dato novo termino: ergo alia est ponenda ratio formalis, ex vi cuius respiciatur secundus terminus.

Tertio idem intentum sic probatur, essentia relationis ita in actuali terminatione, & respicientia consistit, ut minime circa hoc aliquid potentialitatis habeat cum sit essentialiter non potentia ad referendum, sed essentialiter respectus non ordinabilitas, sed ordo, non referibilitas, sed ratio formalis referendi, & sic ipsum respicere non est separabile ab ipsa relatione, nam si separaretur aliquando ab aliquo exercitio, posset ab omni exercitio actuali respiciendi separari, cum non sit

maior ratio unius, quam alterius: unde posset dari pater sine vilo filio, & sine actu respicere filium, & sic relatio prædicamentalis non peteret essentialiter coexistentiam termini, nec vere diceretur totum suum esse habere in respectu ad aliud: atqui consistit tota adæquata ratio relationis in actuali ordinatione, relatione, & ordine, ut patet ex eius definitione, & nihil potest existere sine tota adæquata eius essentiali ratione, alias homo sine humanitate, & sine sua definitione posset esse, quod est absurdum: sed tota adæquata ratio formalis primæ paternitatis, existente primo termino, est actualis terminatio: ergo adæquate est solum circa illum terminum, & si est etiam circa secundum, separabitur à sua actuali terminatione circa secundum, unde poterit etiam à prima, & sic ab adæquata terminatione, sicut quia animal rationalis potest separari in aliquo subiecto, v.g. in ossibus ab aliquo effectu scilicet à reddendo rationalia illa, & sensibilia potest ab omni effectu formali separari, ut est separata modo anima Divi Petri ab omni effectu formali: ergo similiter, si prima paternitas actu non respicit secundum filium, nec ad illum terminatur, & producta, seu genito illo terminatur ad illum: ergo talis paternitas separatur ab illa terminatione, quam potest facere: ergo potest ab omni sicut quia intellectus potest separari à perceptione hac obiecti, & à terminatione illa potest ab omni, sed terminatio ad terminum est essentialis adæquate relationi: ergo non potest separari ab illa: ergo solum potest exercere illam quam actu habet: ergo si de novo incipit alia, non est ex vi huius, sed ex vi alterius relationis, tunc sic posito novo termino datur terminatio ad illum ex parte generantis, cum sit etiam pater huius secundi: sed non est terminatio, quæ antea erat ex vi primæ relationis, cum prima relatio exercebat suam totam adæquatam terminationem ante adventum huius filij: tunc enim, quia habebat suam adæquatam essentiam, quæ in actuali exercitio consistebat totam adæquate exercebat circa primum filium: ergo circa secundum non potest exercere, quia nihil extra suam adæquatam rationem potest transire, nec progredi, & ideo oculus non potest audire, nec auris videre: ergo ex vi alterius relationis fit hæc terminatio, imo relatio alia est hæc terminatio, quia relatio paternitatis nihil aliud est, nisi terminatio generis ad genitum.

Vigetur primo, quia vel paternitas circa primum filium est potentia ad respiciendum, vel actualis referentia: si est potentia: ergo non est relatio prædicamentalis, nec pertinebit ad prædicamentum relationis, sed potius erit qualitas speciei prima, quæ potentia dicitur pertinebitque ad qualitatē prædicamentum, imo poterit esse paternitas sine vilo filio, ut potentia intellectus esse potest sine actuali obiecto, & sine omni actuali intellectione; item ad paternitatem dabitur alia actualis respicientia, quæ essentialiter sit actualis terminatio ad actualem terminum, quæ potius erit relatio prædicamentalis, quæ ex vi suæ definitionis non est referibilitas, sed relatio, & ut ita loquar referentia non est terminabilitas, sed terminatio non est ordinabilitas, sed ordinatio, non est respiciibilitas, sed respectus ipse, & ratio formalis respiciendi, unde paternitas illa erit, & non erit paternitas; erit paternitas, quia supponitur erit paternitas, & potentiam, & concepitur illa omnia absurda: ergo ne tot inconvenientia

mentia sequantur, dicendum est paternitatem non esse potentiam ad primum filium, sed essentialiter actualem relationem, seu respectum, & actualem rationem referendi: sed quod respectu vnus non est potentia, sed actualis ratio non potest esse respectu alterius actualis terminatio, propter maximam distantiam inter has duas formalitates, quæ nunquam coeunt in vnâ entitatem creatam, unde si respectu vnus est potentia respectu omnium debet esse potentia, & si respectu vnus est actualis tendentia & terminatio, respectu omnium debet esse talis, & minime respectu vnus actualis terminatio, & respicientia, & respectu alterius potentia ut respiciat: quod exemplis clarissimis demonstratur, quia intellectus Angeli est potentia respectu alienorū obiectorum, respectu sui non est actualis intellectio, sed est etiam potentia, imo respectu omnium obiectorum est talis, & quia actualis intellectio est actualis tendentia, & terminatio in obiectum, non est potentia respectu aliorum, & quia respectu vnus termini non est potentia vnio, sed potius actuale vnire, etiam est talis respectu omnium, & quia actio est actualitas respectu vnus termini, non potest esse potentialitas respectu aliorum: sed paternitas non est potentia respectu primi filij, sed actualis respicientia: ergo respectu secundi non potest esse potentia ad respiciendum dum præexistit ante illum: ergo quando actus est secundus filius non respicit illum, quia cni præexistenti negatur potentia, negatur etiâ actus: sed paternitas dum erat in generante primum filium non erat potentia ad respiciendum secundum: ergo non poterat respicere, sicut quia equus non potest ratiocinari non ratiocinatur actu, & quia pater æternus non potest generare alterum Verbum, actu non generat aliud secundum Verbum Divinum: ergo quando respicitur secundus filius est ex vi secundæ paternitatis distinctæ à prima.

Confirmatur secundo, quia paternitas constituit patrem in genere causæ formalis: ergo constituit dando se totam: ergo in illa exhibitione exhauritur tota capacitas, & non ei reservatur aliquid postea tribuendum, quia in hoc distinguitur causa formalis à causa efficienti, quod causa efficiens non tribuit, nec operatur statim omne quod habet: sed per partes operatur, & ideo effectus causæ efficientis vocatur participatio, id est partem capiens à causa; at vero causa formalis constituit suum effectum secundum omne quod habet, quia non operatur extra se, sed causat dando se totam ipsam; unde statim tribuit omne quod habet, & non remanet capacitas ad aliud tribuendum, cum in suo esse quod tribuit non sit aliud, & aliud esse quod possit successive tribuere, sed paternitas prima ita constituit, ut tribuat totum suum esse patri, & exhauriatur illa concessione, & tributione capacitas tota illius, ita ut si tunc aliquid non tribuit, est quia non potest, non quia reservat, sed dum non est genitus secundus filius non constituit formaliter hominem patrem illius, quia in prima constitutione exhausta est tota capacitas illius: ergo dum actus est secundus filius non potest constituere in ordine ad eum: ergo quando generatur secundus, non respicit illum: ergo alia relatio est ex vi cuius constituitur generans respiciens illum, & non ex vi primæ.

Confirmatur tertio ex Scoto, quando aliquid per aliquam formam est vltimate tale, eadem forma in eo existente semper est tale cum teste Phi-

losopho idem manens idem semper sit natum facere idem, ut quia manus est calida vltimate per calorem calore existente in manu semper est calida, quia ubi est causa formalis, ibi necessario est effectus formalis: sed relatio est forma, quæ subiectum illam habens est vltimate relatum ad aliud: ergo non potest manere eadem paternitas destructo illo filio, ad quem subiectum ordinabat, atque adeo cum destructo secundo filio, destruitur hoc quod est esse ad illum, destruitur etiam illa paternitas, à qua denominabatur, & constituebatur patet vltimate, respectu illius, ac antea cum existeret imo posset manere paternitas eadem nullo filio manente; unde effectus formalis ad aliud maneret sine alio, quod est summum absurdum; nam cum relatio sit forma, quæ vltimate subiectum constituit in esse actu relati ad terminum, ideo effectus formalis relationis ab illa inseparabilis in actuali exercitio referendi consistit, atque adeo actualem terminationem importat, cum enim relatio sit essentialiter actualis respectus, seu referentia subiecti ad terminum non potest intelligi in subiecto, quin actualiter sit referens, & sic exercitium relationis est inseparabile ab illa; unde totum suum exercitium secum simul importat ut vnio, ubi actio, & duratio: ergo si datur paternitas, cuius exercitium est aliquando respicere primum, & secundum, nam per vos de novo genito secundo filio, respicitur à prima paternitate semper illum ut quo respiciet, unde semper ac datur in generante constituet illum, ut respicientem actu, ut quod; unde antequam generetur secundus filius, respiciet actu illum pater: ergo antequam generet secundum filium pater est actu pater illius, quia actu respicit illum per paternitatem. Hæc autem omnia sunt summa absurda: ergo eodem modo est absurdum dictum adversariorum.

SVBSECTIO IV.

Tertium argumentum ponitur.

Tertio principaliter probatur, relatio multiplicatur ad multiplicationem terminorum adæquatorum; sed quibilibet filius est adæquatus terminus relationis paternitatis: ergo. Maior est evidens, quia sicut se habet potentia respectu obiecti adæquati, ita se habet relatio respectu termini adæquati; sed potentia multiplicatur si non ad multiplicationem obiectorum inadæquatorum, certe quidem ad multiplicationem obiectorum adæquatorum, ut sunt visibile, amabile: ergo licet relatio non multiplicaretur ad multiplicationem terminorum inadæquatorum, multiplicationem terminorum adæquatorum, & ratio evidens est, quia si terminus est adæquatus, æquat capacitatem, & implet terminationem, exhauritque totam spheram, & ordinationem relationis, ita ut tota satiatur terminatione ad illud obiectum, ita ut nec terminus possit terminare aliam relationem, nec relatio possit simul alium terminum respicere, nam si posset, superaret sua referentia illum terminum; unde talis terminus esset adæquatus, ut supponitur ab adversariis, & non esset adæquatus, quia superatur, & exceditur à respicientia illius, sicut ideo homo non est adæquatus obiectum intellectus, quia superat intellectus sua tendentia hominem, nam ultra hominem extenditur ad Angelum.

FFFFF 3 gelum;

proprie huius numero paternitatis; unde si definitio relationis ait; cuius totum suum esse est ad aliud, hoc est sumitur in ordine ad aliud, non solum esse genericum: sed & specificum, & individuale erit ad aliud, nam universalis ex defectu cuiusque particulari falsificatur. sicut hæc, omnis homo fuit conceptus in peccato originali; ²⁵ li, quia Beata Virgo fuit sine labe concepta, & omnis homo est iustus, quia multi sunt peccatores; sed illa est universalis, cuius totum suum esse, id est, cuius omne esse est ad aliud, totum enim ibi pro omni sumitur, ut docet D. Thom. & ceteri Doctores, sicut quando dicitur tota natura humana corrupta est, id est, omnis homo corrumpitur vel est corruptibilis, & ratio evidens est, quia eo modo debet sumi adiectivum totum sicut est substantivum, cui adiungitur, nam si substantivum sit totum potentiale, particula totum significat idem quod omne, & cadit distributive super omnia inferiora, quæ sunt partes potestativæ illius, ut in exemplis positissimis patet, ²⁶ & in hoc tota natura Angelica est spiritalis, id est, omnes Angeli sunt spirituales, & Hispanice dicimus, *Todo hombre miente*. *Todo hombre, padece que es lo mismo, que decir todos los hombres en particular per seens.* ergo nullum esse datur in relatione quod non sumatur in ordine ad aliud, seu in ordine ad terminum: sed individuale est unum esse relationis: ergo etiam sumitur in ordine ad aliud. Tunc sic, quia esse genericum sumitur à termino generico ut sic, tot multiplicatur relationes genericæ, quot sunt rationes fundandi genericæ distinctæ, & termini genere distinguuntur, & quia datur triplex genere distincta ratio fundandi, & triplex genere distinctus terminus in uno eodemque fundamento datur triplex genus relationis, nam in eadem scientia datur relatio similitudinis cum alia scientia, quæ est ex primo genere relationis, datur relatio effectus ad causam, quæ est secundum genus, datur relatio ad obiectum, quæ est mensurabilis ad mensuram, quæ est tertium genus relationis, & omnis hæc multiplicatio relationum datur, non quia multiplicatur fundamentum, quia fundamentum idem numero est in omnibus relationibus: sed quia solum multiplicatur ratio fundandi, & terminus; sed quia etiam esse specificum sumitur à termino, tot multiplicatur specie relationes, ³² quot multiplicatur specie termini, nam illæ relationes non solum genere distinguuntur, sed etiam specie; sed etiam esse individuale relationis sumitur à termino, & ratione fundandi: ergo tot erunt relationes numero, quot fuerint distinctæ rationes fundandi, & termini numero distincti, ut in eodem exemplo patet, nam illæ relationes, quæ in scientia dantur non solum genere, & specie; sed etiam numero distinguuntur, imo impossibile est ut genere, & specie aliqua entia distinguantur à parte rei, quin numero distinguantur, ut videre est in Bucephalo, & ipso Alexandro Magno, qui genere, specie, & individuo feceruntur, & in Petro, hac arbore & hoc equo, quæ entia, quia genere differunt, differunt specie, & numero; nam genus, & species relationes in eadem numero scientia existentes, licet sit idem fundamentum numero multiplicatur genere, propter multiplicationem specie rationum fundandi, & terminorum; ergo si certum est etiam numero multiplicari, multiplica-

buntur numero, propter distinctas numero rationes fundandi, & distinctos numero terminos.

Probatur hæc ultima consequentia, nam ubi ³⁶ est eadem ratio formalis, est idem, vel quasi effectus formalis; sed quia genus illius relationis ³⁷ est respectivum (& est respectivum, quia constituit relationem, quatenus distinguitur ab absoluto) est ad aliud, & quia est ad aliud, seu ad terminum multiplicato termino generice, multiplicatur relatio generice, & idem est de multiplicatione specifica relationum, quia est in ordine ad terminum: sed sic est quod individuatio relationis est, & non absoluta, alias relatio esset quid mixtum ex relatione, & absoluto; unde necessario est respectiva; ergo tota est in ordine ad terminum; ergo multiplicatur numero multiplicato termino numero, nam ut dixi, quia in generica ratione relationis datur ratio formalis ³⁹ essendi ad aliud sequitur effectum multiplicationis generice, & in specifica similiter: sed in individuali datur eadem ratio formalis respectivæ: ergo sequitur idem effectus formalis multiplicationis individuationis ad multiplicationem individualement terminorum, & rationis fundandi, licet ⁴⁰ sit idem numero fundamentum, quia ubi est eadem ratio; &c.

Dices in illis relationibus per accidens multiplicari individuationem, quia multiplicatur genus, & species, non tamen per se.

Contra primo: ergo non sumitur essentialiter, & necessario solum individuatō à fundamento, quia si essentialiter, & necessario sumeretur, nec per accidens posset multiplicari numero relatio, cum fundamentum, nec per se, nec per accidens multiplicetur imo si necessario ⁴² queretur per se, & essentialiter non multiplicato fundamento non posse multiplicari relationes, sequeretur etiam non posse, nec genericæ, nec specificæ, quia quando datur impedimentum aliquod essentialiter ad unam rationem, datur etiam ad id quod est idem cum illa, ut quia datur impedimentum ad essendum rationem individualement chimere à parte rei, & ut à Deo producat, etiam datur impedimentum ut producat realiter à Deo, ut existat à parte rei ratio specifica, & generica Chimere, & quia naturaliter datur impedimentum, ut eadem realis individuatō huius equi resurgat, datur impedimentum ut ratio equi identificata realiter cum illa individuatione resurgat, & idem est in motu adhuc ⁴⁴ Divinitus in vestra sententia: sed per vos datur impedimentum per se, & essentialiter, ut non multiplicato numero fundamento, multiplicetur numero relatio; ergo erit etiam impedimentum ne multiplicetur genere quod est idem cum individuatione, & specie, præcipue quia ex multiplicatione generis sequitur multiplicatio individuationis, & per se, & per accidens, per se ⁴⁵ quia distinctum genus relationis petit per se distinctam individuationem, per accidens, quia à vobis dicitur: ex quibus sequuntur maxima inconvenientia, primum quod per se pugnet natura secum, nam ab ipsa natura constitutum est per vos, ut non multiplicato numero fundamento, minime multiplicetur numero relatio: ex alio capite sequitur per se, quod multiplicato genere multiplicetur per se individuatō: ergo ⁴⁶ si ipsa natura facit quod non multiplicato fundamento, multiplicetur genus, ipsa natura multiplicat

48 multiplicat individuationem per se non multiplicato fundamento numero; unde facit contra seipsam, quæ per vos constituit non multiplicato fundamento numero non posse multiplicari, & sic ait posse multiplicari; quidem de facto multiplicat, & actu ad potestatem bene valet argumentum, & ipsa natura ait non posse multiplicari numero relationem non multiplicato numero fundamentum, unde ait, & negat quod ait, ac proinde sibi ipsi maxime repugnat, imo facit idem posse, & non posse simul, quod contradicit omnium maximo axiomati asserenti, impossibile est idem simul esse, & non esse.

Si autem per accidens ratione generis multiplicatur individuatō: ergo non sumitur per se essentialiter individuatō relationis à fundamento; nec per se essentialiter est non posse multiplicari relationem, non multiplicato fundamento; nam quando per se, & essentialiter est aliquid, nec per se, nec per accidens potest convenire oppositum illius, quod per se, & essentialiter est, unde erit falsum veltrum asseritum, & hoc est secundum inconueniens.

Contra videtur secundo, quia tota ratio quare per vos non multiplicatur individuatō est quia sumitur à fundamento, sed in vestra sententia genus relationis sumitur à fundamento, & species à termino, ut asserit D. Thomas 2. *met.* 3. p. 9. 35. & opusculo 49. & nihilominus licet non multiplicetur genere fundamentum, cum sit idem numero, ut in exemplo posito de scientia patet, nihilominus multiplicatur genere relationes: ergo similiter licet non multiplicetur numero fundamentum, & relatio sumat unitatem individualement in ordine ad fundamentum, si multiplicatur numero terminus, multiplicabitur numero relatio.

50 Tertio contra, quia fundamentum, nec simul nec successive mutatur individualiter, sed semper est idem numero fundamentum, & nihilominus successive dantur, & multiplicantur numero relationes quando successive multiplicantur termini, v. g. Petrus generat Paulum, corrumpitur illa paternitas, generet Ioannem, resultat non prima paternitas, sed alia numero distincta, & fundamentum est idem numero, & solum mutantur rationes fundandi, & termini, & tantum ratione huius mutationis multiplicantur numero relationes; ergo falsum est dicere, non multiplicatur numero fundamento, licet multiplicentur termini, non multiplicari numero relationes.

51 Nec obstat dicere successive bene posse, non autem simul.

52 Contra, ergo non multiplicari numero relationem, non est, quia non multiplicatur fundamentum simul. Patet hoc evidenter, quia successive non multiplicatur fundamentum numero, sed solum multiplicantur numero rationes fundandi, & termini, & nihilominus multiplicantur numero relationes, etiam si successive relationes in vestra sententia sumant suum esse individuale à fundamento; ergo licet simul non multiplicentur termini, & rationes fundandi, etiam si sumant individuationem à fundamento, poterunt multiplicari numero relationes.

53 Confirmatur, quia sicut paternitas ut sic & relatio ut sic, quia sunt ordines, & respectus in

communi, quorum definitio petit ut habeant totum suum esse ad aliud, scilicet ad terminum ut sic, & ad filium ut sic, vel hominem genitum in communi, ita hæc individua paternitas est ad hunc filium, vel ad hunc numero hominem; ergo sicut paternitas in communi, necessario, & solum terminatur ad filium, aut hominem genitum abstrahendo ab hoc vel illo, ita ut terminus illius per se sit homo genitus, vel filius, ita hæc paternitas terminabitur ad hunc filium, vel hunc hominem genitum, & hic erit terminus per se filius, & non per accidens; nam sicut relatio ut sic, quia est ordo, & respectus sumit suum esse per se à termino ut sic, & ratio specifica respicit adequate, & totaliter non solum rationem termini ut sic genericam, sed etiam naturam specificam per se, ita etiam individuatō relationis, quia respectiva est, respicit per se adequate, non genericam solum, nec specificam, sed individualement rationem termini; quod patet, nam si genus, & species in termino non sunt individua sed potius sunt in differentia in infinitum ad varias individuationes, & si ipsa individuantur, & determinantur, non per se sed per individuationes determinantur, & individuantur, quia potius ex se sunt indeterminata, quomodo ipsum genus, & species ut sic in termino poterunt determinate individuate relationes; vel clarius quomodo talis individuatō relationis sumetur ab illis, in quibus non datur ratio individua, & determinata, sed potius opposita indifferentia; unde necessario dicendum est quod ratio generica relationis, & ratio respectu rationis generica relationis, & ratio specifica est ratio per se specificativa respectu rationis specifica relationis, ita terminus individuum erit per se terminus relationis individua, & ratio individua termini erit ratio per se respectu individuationis relationis adequate, & sic specificativum, seu terminus dabit quod habet, & non quod non habet ut diximus; ergo respectu distinctorum numero, & individualiter relationum dabitur distincta numero relatio.

Respondent adversarij, negando paritatem, quia ipsi asserunt speciem à termino, individuationem à fundamento sumi.

Contra evidenter primo, nam hæc solutio non est solutio, sed petitio principij, nos enim dictis rationibus labefactamus hoc ipsum, quod adversarij nunc post tot rationum pondera non rationibus satisfaciunt respondent, petendo principium, siquidem pro ratione conclusionis tribuunt ipsam conclusionem.

Secundo, quia iuxta hanc responsionem idem est omnino est correlativum speciei, & individui per se, & per accidens, quia talis filius est correlativus per accidens paternitatis in communi; ergo si idem est correlativum per accidens huius paternitatis, idem erit correlativum per accidens, & per se speciei, & individui, quod est absurdum, alias idem esset per se & non per se, per accidens & non per accidens.

Deinde, quia hic filius quatenus talis per se respicit hunc patrem, pendet enim hæc numero paternitas essentialiter ab illo; neque potest ab illo alio pendere, quia est modus illius extrinsecus, modus enim in quantum talis est inseparabilis à re, cuius est modus; ergo etiam hic pater respicit per se hunc filium, nec potest separari ab illo secundum tendentiam ad ipsum, ita ut non tendendo ad hunc filium tendat ad alium: ergo

sicut se habet Pater in communi ad filium in communi, ita se habet hic Pater ad hunc filium in particulari, & quamvis sit idem subiectum paternitatis, & idem fundamentum realiter loquendo, est tamen alia ratio fundandi, quæ sufficiens est, ut Pater diversum filium generet realiter: ergo multo magis est sufficiens facere diversam relationem, quia est solum distincta modaliter à fundamento.

SVBSECTIO VLTIMA.

*Duo alia argumenta pro nostra conclusione
ponuntur.*

64 **V**ltimo principaliter argumentor, evertendo præcipuum fundamentum, cui vniuersa aduersariorum ædificij machina innititur; ideo secundum aduersarios non possunt multiplicari duæ relationes solo numero distinctæ in eodem fundamento, quia non possunt duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto; sed hoc est falsum; ergo falsum est dicere, non posse multiplicari duas relationes numero. Maior est certa, minor probatur, quia quando duo accidentia numero distincta munere, vel habitudine distinguuntur, possunt esse in eodem subiecto simul; sed duæ relationes numero distinctæ ita se habent: ergo possunt esse simul in eodem subiecto. Probat maior, duæ species intentionales Petri, & Pauli, & duæ cognitiones eorundem licet numero distinguantur, sunt in eodem intellectu, quia habent diversam habitudinem; & diversa munera exercent: ergo duo accidentia solo numero distincta, quando differunt munere, & habitudine bene possunt esse in eodem subiecto: minor sic probatur, prima relatio paternitatis si daretur, respiceret primum filium, & terminaretur ad illum, & secunda paternitas respiceret, & terminaretur ad secundum filium; sed respicere, & terminari ad primum filium, & respicere, seu terminari ad secundum filium distinctæ habitudines, & distincta munera: ergo duæ relationes solo numero distinctæ habent diversa munera, & diversas habitudines.

65 Vegetur, ac declaratur amplius, quia ex eo quod relationes habeant totum suum esse in ordine ad terminos debent proportionari cum illis; vnde sicut termini licet sint solo numero differentes, nihilominus non sunt omnino similes; sed differunt intra individuaalem rationem, ita & relationes, quod non habent duæ, aut tres relationes in ordine ad ipsum Petrum; nam sunt omnino similes: ergo propter illam diversitatem possunt relationes ad Paulum, & ad Petrum reperiri simul in eodem subiecto, licet solo numero differant, quod minime potest contingere in duabus relationibus circa eundem Petrum, quæ propter omnimodam similitudinem in munere, & habitudine non possunt reperiri simul in eodem fundamento, quod etiam contingit in cognitionibus; nam licet duæ cognitiones eiusdem Petri eodem modo cogniti per illas propter omnimodam similitudinem non possint esse simul in eodem intellectu, nihilominus in eodem intellectu possunt esse simul duæ cognitiones Petri, & Pauli propter diversitatem in munere representandi, quod non habent primæ, licet hæc, & illæ solo numero differant, & regula vni-

R. P. Alph. de Peñañiel, Theol. Schol. Tom. I.

verſalis eſt, quam nuper tetigi ; nam quædam accidentia ita differunt ſolo numero, vt præter diſtinctionem entitatum in reliquis omnibus habeant maximam ſimilitudinem, & convenientiam, non ſolum in munere, & officio, ad quæ deſtinantur à natura : ſed etiam in quacunque habitudine, quam dicunt vt ſunt duæ albedines vt vnum, duo calores vt vnum, &c. alia vero ſunt, quæ licet in ſpecifica ratione conueniant, & ſub ea tantum numero differant, nihilominus tamen non habent inter ſe tantam ſimilitudinem : ſed differunt munere, & habitudine, vt v. g. duæ ſpecies impreſſæ Petri, & Pauli differunt numero hoc poſteriori modo, & non ſunt tam ſimiles inter ſe, ſicut duæ ſpecies impreſſæ eſdem Petri ; nam diuerſas habitudines, qualiſi heterogeneas habent ad duo obiecta heterogeneæ qualiſi diſtincta, & ad diuerſa munera ordinantur, videlicet ad videndum non ſolum Petrum ; ſed Petrum, & Paulum ; reſpicere enim duo illa obiecta, & ordinari ad produciendâ cognitionem illorum obiectorum, diuerſa munera, & officia ſunt, ac proinde conſtitunt ſpecies impreſſas ; quarum munera, & officia ſunt in illis differentium munere, & habitudine, & ideo tales ſpecies poſſunt eſſe ſimul, & exiſtere in eodem ſubiecto ; illæ vero omnino ſimiles non ſunt, duo calores vt vnum non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, & poſſunt eſſe calor vt vnum, & calor vt duo, & ratio evidens à priori eſt.

Quia quando accidentia sunt omnino similia, 66
nullum agens per se intendit, aut pluralitatem
eorum, aut secundum inducere in subiectum, iam
habens primum omnino simile: primo, quia so-
lum intendit agens reddere passum sibi simile,
quod per vnam tantum huiusmodi formam satis
consequitur: vero quando accidentia non sunt
prædicto modo similia, cessat hæc ratio, & sub-
iectum indiget maiori assimilatione, & etiam
agens illam procurat; vt v. g. quauis poten-
tia recepta specie Petri sit illi similis intentio-
nallyter, non est similis Paulo, & ideo licet ha-
beat speciem Petri, & videat Petrum, per illam
non potest videre Paulum; sed indiget alia spe-
cie Pauli, vt videat illum, ac proinde manet in
Paulo virtus ad inducendam speciem sui qua ta-
lem potentiam reddat sibi similem, & per conse-
quens remanet in potentia capacitas ad recipien-
dam speciem Pauli.

Secundo, quia quando accidentia sunt omnino similia, superflua, & otiosa esset multiplicatio eorum; quidem per vnumquodque seorsim potest fieri id, quod per vtrumque, ac proinde frustra esset productio secundi posito primo; quod maxime abhorret natura; fructus enim sunt per plura, quae possunt fieri per pauciores; quando vero sunt aliquomodo diversa, vel ordinantur ad diversos fines, vel resultant ex rebus ordinatis ad illos, & diversas habitudines inde participant, non est superflua numerica multiplicatio illorum: Vnde non provent praefice ex in-
dividuatione, quod aliqua accidentia solo numero diversa non possint, esse simul in eodem subiecto; nam licet in eo simul essent, possent optime intelligi distincta numero ratione suarum distinctarum entitatum, quae ordinantur ad distinctos terminos, fines, & obiecta numero, ut distinguuntur sine dubio realiter duos calores qui successive vnum post alium est in eodem subiecto, & duae cognitiones Petri, & Pauli distin-

G g g g g gunter

gauntur solo numero, & nihilominus simul sunt in eodem subiecto, in quo sine ullo inconvenienti verè existunt licet numero solum distinguantur, respiciunt diversos terminos, & obiecta simul realiter distincta.

68 Tunc sic duæ paternitates, quibus respicit Ioannes Petrum, & Paulum, filios realiter distinctos successivè, licet numero solum distinguantur, nihilominus respiciunt duos distinctos terminos, & duos fines differentes, ad quos tendunt tales relationes: ergo possunt esse simul in eodem Ioanne distinctæ numericè, sicut sunt in eadem potentia Ioannis duæ cognitiones numero distinctæ simul respectu eorumdem Petri, & Pauli, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio, quare possunt esse in eodem subiecto duæ cognitiones numero distinctæ simul, quæ accidentia sunt est quia tendunt in duo obiecta, seu terminos, sed etiam duæ paternitates habent eandem rationem formalem, siquidem tendunt in eosdem duos terminos realiter distinctos: ergo potest dari in illis idem effectus, vel quasi effectus, scilicet quod sint in eodem subiecto simul.

69 Declaratur amplius, quia fundamentum respiciens primum filium per primam paternitatem non est adæquate, & sufficienter terminatum per illam ad omnes terminos, quos potest: nam potest respicere, & terminari ad secundum, & tertium filium: ergo indiget alia ratione respiciendi, & terminandi se ad secundum, & tertium filium, ac proinde generato secundo, & tertio agens sive sit ipsum fundamentum, sive aliud, producat alias rationes respiciendi in fundamento, per quas terminetur ad filios de novo procreatos, & sicut Petrus, qui est primus filius est distinctus, & dissimilis Paulo qui est secundus filius, ita etiam dissimilis est in munere, & habitudine, utraque ratio, cum totum suum esse sumat à terminis, ac proinde multiplicatio earum non erit superflua, sed necessaria, & necessario dabitur à parte rei.

70 Respondet P. Rubius, latum esse discrimen inter species, & relationes, quia species sunt accidentia intentionalia, quæ nec denominant subiectum, nec producantur ab illo, nec ab eo præcipue dependent, sed ab obiecto, propter quod producantur, ut illi uniatur potentia, & ideo bene possunt esse in eodem subiecto simul; quod aliter contingit in accidentibus physicis quæ præcipue sunt propter subiectum, & illud denominant, ac proinde individuatur ab ipso, & ideo non possunt esse duo solo numero distincta in eodem subiecto, propter quam rationem duæ relationes solo numero distinctæ non possunt esse in eodem subiecto.

71 Sed tota hæc doctrina adversariorum omnino falsa est, & ideo eam oppugno manifeste primo.

72 Nam sicut duo accidentia physica per vos solo numero differentia non possunt esse simul in eodem subiecto, ita etiam duæ species impressæ eiusdem Petri, item duæ cognitiones omnino similes eiusdem obiecti numero solum individuatur distinctæ non possunt esse simul in eodem subiecto, & nihilominus illæ duæ cognitiones, & duæ species impressæ non sunt accidentia physica, sed intentionalia: ergo conveniunt illa duo genera accidentium in repugnantia ad multiplicationem: ergo talis repugnantia non convenit

accidentibus physicis, quia physica sunt, alias non conveniret talis repugnantia cognitionibus, & speciebus supradictis, quæ non sunt accidentia physica, sed intentionalia: sed hoc est falsum ut evidenter patet: ergo falsum est dicere, repugnantiam multiplicationis simultaneæ convenire accidentibus physicis, quia physica sunt: ergo convenit illis propter aliam rationem, in qua conveniunt accidentia physica cum illis intentionalibus; sed non potest esse propter rationem entis, & accidentis, in qua conveniunt; alias duæ cognitiones Petri, & Pauli, quæ sunt entia, & accidentia, non possunt simul dari in eodem subiecto, cum sola distinctione numerica, quod est falsum, siquidem de facto dantur duæ visiones in oculo Petri, & Pauli solo numero differentes, quia quando convenit alicui aliqua formalitas ratione alicuius prædicati communis multis, non solum illi, sed omnibus, quibus convenit tale prædicatum, debet convenire illa formalitas, ut v. g. quia Petro convenit risibilitas, quia est homo, non solum illi, sed etiam Antonio, Ildephonso, & cæteris hominibus convenit risibilitas secundum illud principium dici de omni: ergo non convenit illis repugnantia multiplicationis simultaneæ propter rationem entis, & accidentis: sed non est aliud propter quod possit convenire repugnantia talis multiplicationis duabus cognitionibus omnino similibus, in quo conveniant cum duobus accidentibus physicis omnino similibus, ut duo calores ut vnum, qui sunt etiam omnino immultiplicabiles simul in eodem subiecto, nisi omni moda similitudo in munere, & officio, quam non habent duæ cognitiones Petri, & Pauli, ex eo quod ad distinctos terminos, & obiecta tendant, & referantur: ergo præcise propter omnimodam similitudinem, & non propter rationem physicam, vel intentionalem convenit accidentibus repugnantia multiplicationis: ergo falsum est discrimen quod adducit P. Rubius.

Secunda præcipua consequentia est manifestæ, quia quando alicui convenit aliqua formalitas, conveniens etiam multis differentibus ab illo, non convenit illi talis formalitas propter differentiam, per quam differt à reliquis quibus convenit talis formalitas, ut v. g. quia homini convenit moveri progressive, & talis motus convenit equo, & leoni, non convenit taliter moveri homini propter rationalitatem, quæ est differentia hominis, sed potius propter prædicatum commune homini, equo, & leoni; sed repugnantia multiplicationis individualis simul convenit accidentibus physicis, & intentionalibus omnino similibus; ergo non convenit talis repugnantia accidentibus physicis, quia physica sunt, quæ est differentia, per quam distinguuntur accidentia physica ab omnibus intentionalibus: ergo talis repugnantia non convenit accidentibus physicis, quia physica sunt, quod amplius videtur.

Quia in sententia adversariorum possunt multiplicari duo gradus solo numero distincti caloris in eodem subiecto, etiam si sint physica accidentia, ex eo quod duo gradus faciunt intentionem, quam non facit primus gradus, secundum enim gradus intendit calorem primum, & quia licet distinguantur solo numero, non sunt omnino similes in munere intendendi; siquidem unus intendit, alius non intendit, sed potius sunt dissimiles in tali munere, & officio, etiam si in entitatibus sint homogenei, non obstant ratione physica

physica accidentis, quam habent, possunt multiplicari, & de facto multiplicantur in eodem subiecto in sententia Patris Rubij, & in sententia reliquorum Thomistarum, licet intentio non fiat per additionem gradus ad gradum, ac per multiplicationem entitatum diversorum graduum, nihilominus fit talis intentio per additionem unionum eiusdem gradus, quæ maior radicatio ab ipsis dicitur, & tales uniones sunt accidentia physica, & non intentionalia: ergo falsissimum est dicere propter solam rationem physicæ entitatis repugnare accidentibus multiplicatio simultanea individualiter, imo potius pro certissimo habendum est, solum repugnare illis propter omnimodam similitudinem; unde si illam non habebant duo accidentia solo numero distincta, siue sint physica, siue intentionalia illa poterunt multiplicari eo modo, quo multiplicantur duæ cognitiones solo numero distinctæ Petri, & Pauli, quia differunt munere, & terminatione, ex eo quod ad duos terminos, & obiecta distincta tendant.

75 Sed duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum tendunt ad duos distinctos terminos realiter, sicut duæ cognitiones Petri, & Pauli, quia ad eodem tendunt illæ duæ paternitates, ac illæ duæ cognitiones: ergo sicut duæ illæ cognitiones, quia tendunt ad illos terminos non sunt omnino similes; sed potius habent dissimilitudinem sufficientem, ut possint simul existere in eodem subiecto, ita similiter illæ duæ paternitates, quia tendunt ad eodem terminos, non erunt omnino similes; sed potius habebunt similem dissimilitudinem, quam habent illæ cognitiones, ac proinde poterunt existere simul in eodem subiecto; hæc mihi videtur naturalis demonstratio contra responsionem P. Rubij.

76 Secundo impugno singulas partes illius solutionis, & in primis accidentia intentionalia qualia sunt actus intellectus, & cognitiones sensitivæ denominant intellectum; potentias sensitivas, & hominem intrinsece intelligentem, videntem, & obiectum extrinsece intellectum, & visum, &c. sicut relatio denominat subiectum, seu fundamentum intrinsece relatum, & terminum extrinsece terminantem; tunc sic in illo casu, quo intellectus Petri habet duas intellectiones solo numero distinctas, vel sunt duo intelligentes, vel solum vnus intelligens, & quidquid dixeris ad hoc argumentum, respondeo tibi ad id, quandoquidem tam relatio, quam actus intellectus principaliter denominant subiectum in quo sunt.

77 Et ratio à priori est, quia nulla accidentia, siue physica, siue intentionalia multiplicant concretum; unde licet dentur plures scientiæ in homine habituales, qualis est metaphysica, logica, mathematica, &c. non constituunt plures sapientes: ergo ex eo quod duæ paternitates non multiplicent concretum non est neganda multiplicatio eorum in abstracto, quod pater evidenter, nam licet in Petro, qui habet quamplurimas relationes specie distinctas, ut similitudinis, paternitatis, distinctionis, identitatis, &c. ratione illarum non multiplicatur concretum relativum specie, nam certum est tale subiectum relatum per illas relationes specie distinctas non esse plura relata specie; sed potius vnum individuum relatum per plures relationes specie distinctas, nihilominus nullus etiam cæcus potest negare multiplicationem. R. P. I. deph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

nem talium relationum in abstracto: ergo similiter ex eo quod non multiplicetur Pater respectu plurium filiorum in concreto, non debet negari multiplicatio paternitatum in abstracto respectu plurium filiorum, quia non est maior ratio vnus, quam alterius.

Deinde impugno illud quod asserit, videlicet 78 quod accidentia intentionalia magis pendent ab obiecto, quod est contra ipsum Rubium, & contra veritatem, quia actus vitales essentialiter dependent à potentijs, quæ sunt elicitive illorum, & in sententia Rubij etiam ipsa qualitas ita dependet à potentia vitali, ut adhuc per omnipotentiam divinam nequeat fieri sine dependentia à potentia, & potest fieri ut ait ipse Rubius divinitus sine dependentia ab obiecto, & ideo potentia visiva in sententia illius potest videre obiectum, quod non est actu; ergo magis dependent accidentia illa intentionalia à potentia, quam ab obiecto.

Confirmatur, in voluntate etiam possunt esse 79 duæ volitiones numero distinctæ: sed volitiones non producantur ab obiectis: ergo actus intentionales etiam individualiter distincti dependent à subiectis, & non ab obiectis, non minus quam accidentia physica, relationes nimirum, &c. quandoquidem sicut relationes non producantur à terminis, quos respiciunt, ita similiter actus voluntatis non producantur ab obiectis, quæ respiciunt. Præterea actus vitales sunt perfectiones ipsarum potentiarum, ad quas potentia ipsæ dicunt ordinem essentialem: ergo etiam sunt propter ipsa obiecta, atque adeo licet sint propter obiecta, non sunt principaliter propter illa, quia non pure respiciunt illa: sed propter subiecta, imo potius relationes videntur esse principaliter propter terminos, nam relationes prædicamentales sunt puri respectus, & totum vnum esse habent in ordine ad terminos: ergo.

Confirmatur hoc ultimum argumentum principale, quia in Petro dantur duæ extensiones relationis eiusdem: sed duæ extensiones eiusdem relationis sunt duo accidentia physica solo numero distincta: ergo in eodem subiecto possunt esse duo accidentia physica solo numero distincta. Maior est certa; nam relatio, quæ referebat Petrum ad primum filium, quando producit secundum filium in sententia adversariorum extenditur ad illum, & datur vna extensio, & quando producit tertium filium, extenditur etiam ad illum, & datur secunda extensio: ergo iam dantur duæ extensiones solo numero distinctæ; probatur minor, & primo quod sint accidentia physica, quia illa sunt accidentia physica, quæ nec sunt actus potentiarum vitalium neque species impressæ, quæ producant tales actus vitales, qui dicuntur accidentia intentionalia: sed illæ duæ extensiones paternitatis, v.g. non sunt actus vitales, neque species impressæ: ergo sunt accidentia physica, & non intentionalia.

Quod autem sint distincta accidentia à parte rei rei pater; illa distinguuntur realiter quæ ita separantur realiter, ut possit dari vnum realiter sine alio: sed ita se habent illæ duæ extensiones: ergo distinguuntur realiter. Probatur minor, existente prima extensione realiter ad secundum filium, non datur realiter secunda extensio ad tertium filium, quia hic nondum est productus, & destructa prima extensione, quia destruitur secundus

Gggg 2 cundus

cundus filius, non perit secunda extensio, quia adhuc mortuo secundo filio, vivit & superstes est tertius filius: ergo separantur realiter duæ extensiones, ac per consequens distinguuntur realiter.

82 Quod vero solo numero distinguuntur, patet manifeste, quia sunt in eodem subiecto numero, & pertinent ad eandem paternitatem numero, & tendunt ad duos terminos solo numero distinctos & habent duas generationes, ut proprias rationes fundandi solo numero differentes, quæ omnia arguunt evidenter, tales extensiones respectivas solo numero differre. Præterea, quia si illæ extensiones distinguerentur specificè, etiam duæ paternitates possent distingui specie, & sic cessaret tota quæstio; nam ideo duæ paternitates non possunt distingui specie, quia terminantur ad terminos solo numero distinctos; sed illæ duæ extensiones sunt circa terminos solo numero distinctos: ergo distinguuntur solo numero.

83 Sed demus, non dari nisi unicam extensionem eiusdem paternitatis ad omnes filios, nihilominus manifeste refellitur sententia adversariorum: nam de facto per illos præter paternitatem, per quam refertur pater ad primum filium, datur illa unica extensio ad plures filios, quæ est accidens eiusdem denominationis, & rationis cum ipsa paternitate distinctumque ab illa à parte rei, siquidem ante generationem secundi filij datur paternitas ad primum filium, & non datur extensio eiusdem paternitatis ad secundum filium, quia nondum existit: ergo iam dantur duo accidentia physica eiusdem rationis, & speciei solo numero distincta simul in eodem subiecto. Probatur nunc, quod sint eiusdem speciei paternitas, & extensio, primo propter rationes quas supra adduximus ad probandas duas extensiones esse eiusdem speciei, & etiam propter rationes, quibus superioribus sectionibus vti sumus ad probandum, extensionem illam paternitatis generantis ad secundum filium esse formaliter relationem paternitatis, siquidem petit omnes condiciones ad sui esse, quas paternitas petit, videlicet fundamentum generationem veram, & forte perfectiorem prima generatione, quia secundus filius est perfectior individualiter, ut quotidie contingit pro ratione fundandi, & terminum verè, & proprietatem, secundum nimirum filium eiusdem speciei cum primo qui verè genitus, & verè filius est sed propter has condiciones paternitas est relatio: ergo propter easdem illa, quam vocatis extensionem, erit non minus ac formaliter relatio paternitatis, ac prima: ergo sunt eiusdem speciei, quia duæ relationes ad terminos eiusdem speciei non distinguuntur specie; sicut non distinguuntur specie in vestra sententia propter easdem rationes, sed solo numero duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum, quæ successive, & non simul existunt in eodem subiecto.

84 Deinde, quia quando omnes causæ tam specificativæ quam efficientes, & materiales sunt eiusdem speciei, accidentia ab illis pendencia essentialiter, & necessario sunt eiusdem speciei, ut videre est in duobus cognitionibus existentibus in duobus intellectibus eiusdem speciei, tendentibus ad duo obiecta similiter eiusdem speciei formalissime, & idem est de duobus actibus voluntatis, & de duobus visionibus ad eadem obiecta specie formalia: quæ omnia non distinguuntur specie; quia omnes causæ concurrentes ad earum efficientiam

non distinguuntur specie, & idem est in exemplo nuper adducto à nobis de duabus paternitatibus successive existentibus, & de duabus filiationibus existentibus simul in duobus filiis in ordine, vel ad unum numero patrem, vel ad duos patres eiusdem speciei; nam tales filiationes non distinguuntur specie, sed solo numero, quia omnes causæ illarum sunt eiusdem speciei; sed omnes causæ, quæ concurrunt ad paternitatem, & ad extensionem paternitatis, ut sunt fundamentum, rationes fundandi, & termini, non sunt distinctæ specie, sed solum numero: ergo paternitas, & extensio eiusdem paternitatis non distinguuntur specie sed solo numero, & nihilominus sunt simul in eodem subiecto: ergo nullius momenti est, sed potius corrumpit fundamentum præcipuum adversariorum.

Vergetur ultimo, fundamentum v. g. homo, qui potest generare varios filios, ex se est indifferens ad fundandas varias relationes paternitatis, sicut eadem albedo est indifferens ad relationes identitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, & illa indifferencia, seu potentia determinatur, & reducitur ad actum per varios terminos, & per varias rationes fundandi ad varias relationes, quia cum illa indifferencia non sit dominij, & libertatis, sed indigentia, & necessitatis, non ad libitum proprium & in hoc sensu à se, sed à rationibus fundandi, & termini reducitur ad hanc, & illam relationem emanantes ab ipso fundamento; unde si simul concurrunt diversæ rationes fundandi, & termini simul genere, & specie distincti, determinatur simul fundamentum ad varias relationes genere, & specie distinctas fundandas necessario; sed etiam dantur distinctæ rationes fundandi, & distincti solum numero termini simul, quando idem homo generat duos filios: ergo tunc reducitur fundamentum naturaliter, & necessario ad duas simul numero distinctas relationes, quia non est maior ratio unius, quam alterius.

Alia solutio refutatur.

Alij respondent ad positionem secundi, & tertij filij non extendi paternitatem, sed delineare antiquam, & advenire aliam indivisibilem, quæ indivisibiliter, & adæquate refert illum hominem ad primum, & ad secundum, qui de novo produciuntur, & non ad plures, nec pauciores; si autem generet tertium filium, amittere illam, & acquirere aliam referentem ad tres eodem modo.

Sed hæc solutio ad libitum fingitur sine vilo fundamento solum ad eludenda argumenta. Vnde, quia nulli rationi innititur, his rationibus funditus labefactatur.

Quarum prima sit, quia non est à quo corrumpatur prima illa relatio, quia agens naturale non corrumpit sibi simile, neque ibi est aliqua dispositio contraria; unde forma, quæ de novo corrumpitur ad præsentiam alterius, est quia habet in se compossibilitatem cum adveniente, hoc est cum relatione ad secundum filium; sed fictitia est hæc incompossibilitas, & repugnantia illarum duarum relationum: ergo non corrumpitur prima paternitas per adventum paternitatis ad secundum filium; minor sic probatur, quia vel illa incompatibilitas provenit illis formis ab illo fundamento, seu subiecto, in quo sunt ex eo quod in vno subiecto numero non possint esse duo accidentia numero distincta; sed hoc non, ut latissime probatum manet supra ubi demonstravimus duo accidentia

dentia, quæ non sunt omnino similia munere, & habitudine eo modo, quo non sunt duæ paternitates ad Petrum, & ad Paulum posse esse simul in eodem subiecto: ergo ex parte subiecti nulla est repugnantia inter tales paternitates.

69 Vel illa repugnantia datur in illis formis ex proprijs formalitatibus, & entitatibus: sed hoc est impossibile: ergo impossibile est talis incompatibilitas in illis relationibus; minor hæc sic probatur, quia duo accidentia solo numero differentia, & eiusdem speciei, nullam habent repugnantiam, & oppositionem ex proprijs formalitatibus, quia opposita ex proprijs formalitatibus sunt diversa speciei, ut videre est in calore, & frigore, in nigredine, & albedine, & in filiatione, & paternitate, quæ habent oppositionem ex proprijs formalitatibus, ratione cuius sunt, & debent esse distinctæ speciei; è contra verò duo calores, & duæ albedines, &c. non sunt oppositæ ex proprijs formalitatibus, quia sunt eiusdem speciei, & solo numero distinguuntur; sed duæ paternitates ad primum, & secundum filium solo numero distinguuntur, & non specificè: ergo non opponuntur, nec sunt incompatibiles ex proprijs formalitatibus, maior est certa ut patet ex dictis, minor patet ex ipsa sententia adversariorum, qui ideo asserunt, non posse duas paternitates ad primum, & ad secundum filium existere simul in eodem subiecto; quia solo numero distinguuntur, & non specificè; nam si essent relationes speciei distinctæ, essent sine dubio in eodem subiecto simul, ut sunt paternitas, relatio identitatis, diversitatis, &c.

90 Præterea, quia nullum agens corrumpit unam formam ut introducat aliam similem illi; unde vel non introducit aliam similem, vel illam introducit præexistenti conservata; quia illæ duæ non opponuntur, cum non sint contrariæ; neque duæ formæ, quæ sunt eiusdem speciei se ad invicem corrumpunt, sed mutuo se iuvant in cōservatione, ut secundus gradus caloris non corrumpit primum, sed potius fovet, intendit, & perficit illum; & ignis non corrumpit aliam ignem ad productionem alius; sicut cognitio Petri non corrumpit cognitionem Ioannis, quia ex se non repugnant, & ex eo quod munere, & habitudine differant, compatiuntur in eodem subiecto; sed paternitas ad primum filium, & paternitas ad secundum filium munere, & habitudine differunt, & sunt eiusdem speciei; sicut duæ cognitiones dictæ: ergo non se expellant, nec corrumpunt, sed potius existunt simul in eodem subiecto.

Deinde, quia quando concreta non opponuntur ex proprijs formalitatibus, sed potius sunt unum, & in unum coincidunt formæ, per quas constituuntur talia concreta, nullo modo opponuntur ex proprijs formalitatibus, sed potius possunt esse in eodem subiecto simul, sine eo quod ad adventum unius corrumpatur altera: v.g. quia dulce, & album non opponuntur ex proprijs formalitatibus, nec pugnant inter se, sed potius coincidunt in unum subiectum, quod simul sit dulce, & album, etiam dulcedo, & albedo, quæ sunt formæ talium concretorum, possunt esse in eodem subiecto, v.g. in saccharo, sine eo quod una destruat, & corrumpat aliam, quod è contra evenit in frigiditate ut octo respectu caloris ut octo, quia calidum pugnat cum frigido.

92 Sed idem concretum potest esse pater respectu primi, & secundi filij simul sine vlla repugnantia: ergo paternitas ad primum, & paternitas ad secun-

dum filium, quæ sunt formalitates constituentes tale concretum possunt esse simul in eodem subiecto, & fundamento sine vlla repugnantia unius respectu alterius, & sine eo quod prima destruat per adventum secundæ.

93 Secunda ratio principalis contra dictam solutionem sit, quia nulla est necessitas introducendi illam frequentem mutationem relationum, alias quoties nova res alba fieret, mutarent cætera omnia alba, quæ antea erant suas relationes similitudinis respectu omnium, & novas acquirerent, quod est absurdum. Deinde cur pater amitteret relationem ad primum filium, genito secundo? cum nihil eorum tollatur, quæ ad esse illius relationis necessaria erant quia non obstante secundo filio, prior semper est sufficiens terminus illius relationis.

94 Tertia ratio principalis sit, quia quamvis demus, posse unam relationem respicere plura adæquate, quando per se, & ex vi suæ speciei illa requirit ut resultet, vel conservetur seu ut exerceat suum effectum formalem, ut est in relatione totius, aut subdupli, tamen quando relatio non postulat hoc ex sua ratione formali, & termini solum per accedens multiplicatur, ut contingit in paternitate, filiatione, similitudine, & cæteris, merè gratis dicitur consurgere unam indivisibilem relationem, quæ adæquate respiciat collectionem plurium terminorum.

95 Ultima ratio principalis sit, quia paternitas, ut supra probavimus, habet eundem terminum, quem habet generatio per quam resultat relatio paternitatis, & in qua tanquam in ratione fundandi nittitur paternitas, sed una, & eadem generatio indivisibilis non producit primum, & secundum filium nec terminatur ad illos, sed potius duæ generationes numero distinctæ habent pro terminis duos filios realiter distinctos: ergo una, & eadem indivisibilis paternitas non terminatur ad primum, & secundum filium, corrupta prima paternitate, sed potius duæ paternitates numero distinctæ terminantur ad primum, & secundum filium.

96 Vergetur, quia relatio paternitatis est relatio causæ actualis, quatenus actualis producentis effectum, ita ut tunc resultet talis paternitas, quando actu pater producit filium, ut effectum proprium, sed à causa actuali quatenus causa actualis, & ex vi actualis causalitatis illius non producit primum, & secundus filius, sed potius ex vi duarum causalitatum: ergo ex vi unius indivisibilis paternitatis non respicit primum, & secundum filium, sed potius ex vi duarum paternitatum inter se distinctarum.

Aliud argumentum pro præcipua conclusione ponitur.

97 Quia si non multiplicarentur relationes numero ad multiplicationem terminorum numero distinctorum, eandem numero relationem remitti, & intendi eodem tempore simul necessum esset, quod est omnino falsum: ergo multiplicatis terminis, multiplicandæ numero relationes, sequela sic probatur, quia supponamus, unum album esse simile duobus albis, & unica relatione similitudinis respicere hæc duo alba, si enim primum album quod habet similitudinem ad alia duo maneat secundum eundem gradum albedinis, item secundum maneat sine vlla additione, & diminutione

G g g g g 3 albe

albedinis; tertium vero augeatur in albedine tunc relatio in primo albo existens respectu secundi erit eadem, quæ erat prius, & respectu tertij erit remissa, siquidem ex vi augmenti albedinis in tertio primum non est tam simile cum illo, ac antea: ergo eadem relatio simul minuitur, & intensa manet; quod si primum album erat intensius, quam aliud, & ex illius tertium augeatur in albedine, secundum vero minuat, tunc relatio primi respectu tertij intenditur, respectu vero secundi remittitur: ergo eadem numero relatio remittitur simul, & intenditur eodem tempore.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

97 **A**D primum concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam quoad omnes partes eius; nam ut in lib. de interpret. videbimus, concreta accidentium licet afficiantur pluribus formis accidentalibus realiter distinctis, non multiplicentur ad multiplicationem illarum, etiam si illæ sine dubio sint multiplicatæ realiter; quod etiam supra demonstravimus exemplis manifestis; nam in eodem homine sunt plura accidentia realiter distincta, ut albedo, quantitas, relatio, &c. & nihilominus homo non est plura concreta: ergo ex non multiplicatione concreti patris non debet argui immultiplicatio paternitatis, quia pater est concretum accidentale, & non multiplicatur tale concretum ad multiplicationem formarum accidentalium, cuius rationem universalem, & à priori trademus lib. de interpret. ubi data opera de hoc negotio agimus.

98 Ad secundum concedo maiorem, & nego minorem, maxima enim virget, & cogit necessitas ad talem multiplicationem relationum, ut patet ex dictis in probatione nostre conclusionis. Ad id autem, quod dicitur de infinitis albis nego illud, quia omnia alba, quæ dantur in universo mundo, neque sunt infinita, nec penè infinita, licet sint quam plurima; ex quo solum sequitur, quam plures relationes in unoquoque albo resultare, quod nullum est inconveniens.

Ad alterum vero, quod de habitibus addit P. Rub. negamus, eandem esse rationem de habitibus, ac de relationibus, quia essentia adæquata habitus est virtus productiva, & contentiva in genere causæ efficientis per modum principij activi, & potentialis; sed ad plures actus sufficit una virtus, sicut una potentia sufficit etiam ad plures operationes, in quo distinguitur potentia, & virtus ab actuali operatione, quæ quia modus est, & in actualitate sine aliqua potentialitate consistit, non potest una operatio, quæ produxit unum terminum totalem, producere postea alium; alias non in ultima actualitate, sed in potentialitate consisteret operatio; neque actualis intellectio potest cognoscere plura obiecta successive, unum post alium cognoscendo; ita ut eadem cognitio, quæ antea cognoscebat unum obiectum, & non cognoscebat aliud, postea cognoscat illud, quod antea non cognoscebat, alias non actualis cognitio, & ultimum exercitium potentia esset, sed potius potentia intellectiva, quæ quia potentia est per plures intellectiones potest plura cognoscere, quæ antea actu non cognoscebat; quod evenit, quia potentia non consistit in actuali tendentia, sed potius in

potentia, quæ est virtute plures, quia continet in se virtutem producendi plura, quod minime habet intellectio, cum in actuali tendentia, & terminatione consistat; potentia enim cum ex se sit indifferens potest per actualitates determinari ad hoc, vel illud; actualitas autem ex eo quod sit ex determinata, non potest per aliam determinari, sed potius per seipsam est essentialiter determinata ad unum, nec potest tendere ad aliud, præter id ad quod ex se est determinata ut eadem quantitas potest esse hic, vel illic præsens, quia ex se consistit in potentia ad hunc, & illum locum, & quia potentia est, potest determinari per varias actuales præsentias ad varia, & diversa loca; actualis autem præsentia, per quam determinatur quantitas ad hunc actuale locum, quia est modus ac proinde pura, & ultima actualitas ad hunc locum, non potest per actualitatem aliam, ad alium determinari; alias esset, & non esset ultima actualitas, & ad unam actualitatem daretur alia, & ad aliam alia, & sic procederetur in infinitum cum non datur maior ratio unius, quam alterius.

Sic similiter, essentia habitus cognoscitivi non est ultima actualitas cognoscendi, sed potius est virtus, & quasi potentia ad cognoscendum; unde per varias actuales cogniciones, & non per seipsam determinatur ad actu cognoscendum varia obiecta, quia non est modus, sed res; sed relationes non sunt res, nec tendentiæ potentiales, sed potius actuales terminationes, & tendentiæ: ergo sunt ita determinatæ ad suos terminos, sine aliqua indifferentiâ, & potentialitate, ut non possint successive ad varios terminos tendere, etiam si habitus ad varia obiecta successive tendat, propter discrimen, quod tribuimus inter habitum, & relationem.

Ad ultimum concedo maiorem, & nego minorem; deinde nego consequentiam, non enim ex eo una relatio non est in duplici subiecto adæquato, quia sumit unitatem numericam à subiecto, sed quia unus actus petit unam potentiam, & ideo anima rationalis non potest esse in duplici corpore naturaliter; sed relatio est actus subiecti, seu fundamenti, quod est potentia respectu illius: ergo una relatio non est in duplici subiecto; deinde quia subiectum illud est adæquatum respectu relationis, & sic relatio adæquate secundum totum suum esse recipitur in subiectum, ita ut nihil illius desinat recipi in illo; sed nulla forma potest esse extra subiectum adæquatum illius, alias esset adæquatum, & non adæquatum respectu talis formæ: ergo relatio non potest esse in alio subiecto distincto à fundamento in quo resultat, quia si esset in alio subiecto distincto à fundamento, iam esset extra fundamentum adæquatum illius; unde esset adæquatum, & non adæquatum fundamentum relationis; adæquatum ut supponimus, non adæquatum, quia vagaretur extra illud formam adæquatum, quia vagaretur extra illud formam quod est summum absurdum; sicut est summum absurdum potentiam vitalem vagari extra obiectum adæquatum, ita ut intellectus amet, & voluntas intelligat. Deinde, quia eadem numero entitas non potest esse in duplici loco simul naturaliter; sed si una relatio esset in duplici fundamento, esset in duplici loco simul naturaliter, quia duplex fundamentum, in quo est eadem relatio, est in duplici loco: ergo eadem numero relatio non potest esse in duplici fundamento; Tandem, quod paternitas necessario existit in fundamento, quod generat filium unum (ut masculus, seu vir, quia